




292558228

101 Københavns kommune

Mag. 09.3764 København Ac

RHB



aug. 9. 1864 København Ce

ACTA SOLENNIA

QUIBUS

TERTIUM JUBILAEUM

REI SACRAE PER *MARTINUM LUTHERUM*
INSTAURATAE

JUBENTE

AUGUSTISSIMO DANIAE REGE

FREDERICO SEXTO

DIE I NOVEMBRIS A. MDCCCXVII

IN AEDE STAE TRINITATIS

CELEBRABAT

UNIVERSITAS REGIA HAVNIENSIS

RECTORE

CLAUDIO FREES HORNEMAN,

THEOL. DOCT. ET PROF. PUBL. ORD. COMMENDATORE ORD. DAN.

ACTA SOLEMNIA

QUIBUS

TRITUM JURAMENTUM

1803

REI SACRAE PER MARTINUM LUTHERUM

INSTAURATAE

LIBERTATE

AUGUSTISSIMO DANICAE REGIS

FREDERICO SEXTO

DIE I NOVEMBRI A MDCCCXVII

IN REDE SIVE TRINITATIS

CELEBRATA

UNIVERSITATE REORUM HANNOVERENSIS

RECTORIS

CLAUDIO FRIBERGO HANNOVERENSI

9793

THOMAS BOCK ET FRIDRICH GERTZ COMPOSITORES CAR. DAN.

PROLUSIO

QUA

FESTUM ACADEMICUM

IN MEMORIAM TERTII REFORMATIONIS JUBILÆI

AD

CREANDOS XVIII DOCTORES

UNUMQUE LICENTIATUM PROCLAMANDUM

INDICEBAT

UNIVERSITAS HAVNIENSIS,

AUCTORE *B. THORLACIO*, PROF. ELOQU. LAT.

P R O L U S I O

Q U I

PRIMUM ADDITIONUM

IN MEMORIA DOMINI REVERENDISSIMI PATRIS

AD

GRANDOS XVII DOCTORES

UNIVERSITATIS CANTONUM PROCANONICIS

INDICIBUS

UNIVERSITATIS HAVANENSIS

IN HONORE A. FRANCISCO DE X. DE

Tu, quæ *LUTHERI* pectora moveras,
Quâ tacta, sacris arserat ignibus
Augusta mens herois; et tu
Corda potens animare sancta,

Descende coelo Davidica o chelys!
Motura mentes fomite nobili,
Virtutis almæ tu magistra,
Et solidæ pietatis auspex!

Elapsa cum sint jam tria secula,
Ex quo renata est religio, ingenii
Pulsæ tenebræ, moribusque
Lætior ac nova lux refulsit.

Hoc seculorum flumine quot novas
Rerum vices adduxit et abstulit,
Mutationum fertile ævum!
Coelum operire minata sæpe, et

Solem ac diem, densissima nubila!
In pejus ultro sæpe relabier
Humanitas visa est, adeoque in
Exitium ruere ipsa præceps.

Terram gubernans ludere credita
 Crebro fuit divina potentia.

Non lusit. Ordo mox reductus;
 Progredier videas regressa!

Testis LUTHERUS, res sacra testis est,
 Auctore Martino, auspice strenuo,
 Fausto Dei addicente nutu,
 Gentibus et sibi restituta.

Exordio nam progrediens levi
 Complexa terras tempore perbreui est
 Amplas, eundoque aucta; crescit
 Ceu niveus globulus rotando.

Sic fonte quamvis e modico scatens
 Flumen tumescit sensim, et eo alveos
 Undasque majores trahit quo
 Longius a capite est remotum.

Ut saxa torrenti haud faciunt moram,
 Undarum at augent valdius impetum,
 Sic rei sacræ instaurationi
 Profuit ipse hominum renisus.

Rerum tenorem, orbis faciem vide,
 Seclo LUTHERUS quo extitit; et novos
 Se devoentis Curtii ausus
 Numinis ac regimen stupebis!

Prisci memor stabat Capitolium
 Splendoris, armis jam regere impotens
 Terras; sed edictum vibrans vim
 Atque superstitionis artes.

Confluxit illuc, quicquid opum uspiam
 Gentes habebant. Fulmine territæ
 Obtemperabant nationes
 Obsequioque fideque cæca.

Torpor, sopor sunt omnia. Dissident
 Cives suis a principibus. Gemit,
 Morbum nec orbis ferre pollens,
 Sed neque ferre mali medelam.

Divina quid? quod religio suum
 Dediscit ortum, ludificabiles
 Induta scenas. Romæ emuntur
 Cuncta, salus animæ, ipsa coela.

Et coelitus quem Christe vocaveras
 In terram, — at illum ἐν πνεύματι, numinis
 Cultum ac ἀληθεία, — hic abiit ad
 Insidiosque vagosque ritus.

Injecta menti ferrea vincula;
 Pectusque, quod virtute calescere
 Debebat et flammâ piâ, jam
 Turpe gelu glaciesque cinxit.

Tantum malorum non nisi vindice
 Deo levandum. Munere numinis
 Extat *LUTHERUS*, totque morbis
 Repperit ingenio medelam.

Severus ille et fortis et ἐνθεος,
 Tenaxque recti, cedere niscius,
 Prudens sed idem, liberalis,
 Religione fideque victor.

Martine! fecit strenuitas tua,
 Quæ haud elegans doctrina Melanchthonis
 Nec larga Reuchlini valebat,
 Nec valere sales Erasmi.

Rectum Luthero murus aheneus,
 Verumque causa est numinis unice.
 Interrita hinc mens; inde lingvæ
 Singula verba fuere fulgur.

Moles ruebat prisca tyrannidis,
 Orbata fulcris, barbarâ secula
 Quæ subdidere, orbisque somnum
 Excudit, ipse suum stuporem

Miratus; excitur; vetus et redit
 Multis vigor, fiducia, gentibus,
 Concorsque populorum voluntas,
 Atque regum, publice juvandi.

Europa fervet; surgit ei novus
 Ordo; suarum conscia virium
 Majora molita; ordiuntur
 Nunc nova regna, civitates.

Scrutare cuncta ac optima comproba,
 Hortante Paulo jam placuit. Ratâ
 Sententiâ hac, humanitati
 Constitit et sua vis honosque.

Progressus isto principio, brevi
 Complexus omnem pæne scientiam
 Mortalium intellectus est;
 Moxque tetendit ad altiora.

Hac luce nullæ non literæ vigent;
 Tutatur illas liberior crisis
 Vulgata; florebat sororiis
 Res sacra cum literis reducta.

At munus humano generi datum
 Queis prædicabunt eloquiis novum
 Justi æstimatores? Lutherus
Biblia, clausa diu, reclusit.

Per secla sanctus delituit liber;
 Protractus in lucem est; hic homines statim
 Solatiis, hortatu et almo
 Alloquio innumeros beavit,
 Et post beabit; quippe cuilibet
 Asserta, nostro vindice, copia est
 Sacros libros interpretandi
 Arbitrio penitus remoto.

Oraculis cum sic rediit Dei
 Et pondus et vis, religio emicat
 Augusta, priscâ puritate
 Simplicitateque restitutâ.

Jam vera virtus pectora permeans
 Orbi redonata; igneque tam sacro
 Accensa pollebit vel imos
 Blanda fovere animi recessus.

Mortalium sic mens generoso erit
 Incocta honesto; sic superûm salus
 Terræ inferetur; dehinc nec udam
 Linquet humum pietas renata.

*


**

Per trina ferme secula floruit
 Felix sacrorum Dania commodis
 Fauste restauratorum; in omne
 Ævum utinam solide fruatur!

Cum patriâ ergo gratâ *ACADEMIA*
 Hos *HAVNIENSIS* læta colens dies
 Tantum Dei munus binigni
 Mente pia celebrare certat.

Memorque quantum profuerit bonis
 Opus Lutheri, res sacra, literis,
 Novos modeste offert sagacis
 Ingenii studiique fructus.

Bis longa sex certamina per dies
 Vidère cives; finem habet is labor;
 Docti viri expectant brabeutas,
 Ut meritos capiant honores.



VITAE CANDIDATORUM.

A. THEOLOGORUM.

a) Exteri Ecclesiae Reformatæ, quibus *honoris causa* Doctoratus Theologiæ Rege Augustissimo auctore conferetur, (sed quorum vita propter regionum, in quibus degunt, longinquitatem hic dari nequit), hi sunt:

- I. Reverendissimus S. BARRINGTON, Jur. Civ. Dr., de Paris regni Magnæ Britanniae, Dominus Excellentissimus, Episcopus Dunelmensis p. p.
- II. S. V. JOANNES JACOBUS HESS, ecclesiae Turicensis Antistes.
- III. S. V. FRIDERICUS EHRENBERG, in aula Augustissimi Borussiae Regis concionator.
- IV. S. V. JOANNES MONOD, ecclesiae Reformatæ apud Parisios Antistes et Consistorii Assessor.

b) *Ordinarius* est:

V.

JANUS MICHAEL HERTZ, natus die 26 Julii an. 1766 in oppido Örslev Siellandiae prope Ortungam, patrem habuit Hermannum Hertz, sylvis regiis istus praefecturae obeundis praefectum, matrem vero Birgittam Catharinam Hertz, quae viduata primum sub hocce quidem nomine, novo autem deinde contracto matrimonio, sub nomine Boye, quo hodie iterum vidua gaudet, hymnis quam plurimis sacris, versione metrica Psalmorum Davidicorum aliisque scriptis inter literatas patriae foeminas inclaruit. Nonum noster agens annum, patre orbatus, cum matre fratreque majori, Christiano Hertz, minoreque sorore Havniam petiit, ubi regia Principis Frederici, Regis Christiani 7mi Fratris, munificentia pauperem viduam, a magno Guldbergio commendatam, cum pupillis sublevavit, suoque impendio pueros eodem jam anno 1775 educandos edocendosque scholae Helsingoranae commisit. Rectorem heic habuere, praecipuum imo fautorem, inclytissimum illum virum, Jacobum Badenum, cujus sibi puero favorem acquisivisse, et viro demum amicitiam conservasse, ut inter sincerrima nostri conamina semper erat, ita maximo sibi honori ad cineres ducet. Conrectorem habuit eruditissimum virum, Philosophiae Magistrum Hansen, in re civili ac literaria aequè strenuum atque cordatum, qui primis

illum hebraicæ præsertim lingvæ notitiis imbuit; quem vero, etiamnum vigentem et pro suis in literas patriamque meritis aurea ordinis dannebrogici cruce ornatum, incolumem felicemque propitius Deus diu servet. Anno vero 1781, cum novum iniisset mater conjugium, viro nempe integerrimo et in privignos piissimo, Johanni Boye, operæ, quæ Havnæ est, regiæ molaris tum inspectori, nupta, filios hic in suam recepit domum, regioque non eo secius beneficio suffultus, noster scholam adiit metropolitanam, academicæ jam civitati atque institutioni, moderatore doctissimo, ingeniosissimo et humanissimo simul viro, S. T. Thorlacio, præparandus. Prudenti hic ac vere paterna cura exceptum juvenem non necessariis academico cuique civi disciplinis instruere contentus, scintillas quoque, quas indagare autumabat, ingenii fovere poëseosque vernaculæ pullulantem amorem jam incitando jam cohibendo regere allaboravit. Qvalem novit dilexitque juvenem, talem almæ universitatis patribus commendavit: "Siccæ, inquit, naris juvenem vobis commendo. Ad metam lente festinat. Musas vernaculas amore quodam naturali et a matre hæreditario prosequitur, quas quidem nisi pro-cando offenderit, satis olim obsequentes habiturus esse videtur." Qvod quidem paternum consilium increbibile quantum in juvene valuerit; gratissimoque ipse animo hodie profitetur, si maturis unquam ingenii foetibus cordatos delectaverit cives, neque ad instantem curriculum finem puerilium et immaturorum scriptorum eum pudeat, id huic deberi nutui, qui nascentem jam in puero scribendi pruritus sedavit, svasitque solidioribus prius disciplinis informandum ingenium esse, quam ad scribendum ruat, castaque et sobria prius crisi figmenta ejus esse corrigenda, quam in publicam prodeant lucem. Ab hocce igitur immortalis memoria colendo viro dimissus, examen artium sustinuit anno 1784, et anno sequenti philosophicum. Præceptorum, quem in utraque schola expertus fuerat, favor, ita ut nullus præteriisset annus, quin ei et diligentia et in literis progressus publica præmia tribuerentur, verecundum timidumque adolescentem in universitate frustravit; haud tamen illaudabilem in utroque examine patres conscripti censuere. Animo jam magis fractus, quam re, satis licet curta et eadem esset, coactus, almam, heu quanta cum jactura, universitatem reliquit, ut, dum pueris edocendis victum quæreret, proprio se studio ad examen theologicum, concionandique exercitio ad munus sacerdotale obeundum præpararet. At male cessit consilium. Theologicis quidem disciplinis assiduo incubuit studio, multa, neque eadem cuique cuncta obvia, legit, lectaque excerpit et sua facere allaboravit. Verum carens rectore opus fluxit. Cumque anno medio 1787 Havniam reverteretur, theologicum subiturus examen, etiam harum scilicet disciplinarum se haud illaudabili copia instructum putans, hac quoque spe frustratum examinatores haud contemnendum dimisere. Jam omnes denuo intendens nervos, resumtisque studiis,

diis, lectionibusque S. S. V. V. Hornemanni, Moldenhaweri, Münteri sedulo frequentatis, id a clementissimo Rege petiit, ut iterato tentamine explorarentur sui in theologicis progressus. Cui dum petito — incertum quo fato — responsum non dabatur, ab Episcopo Balle, τῷ μακαριστῇ, id impetravit, ut anno 1789 ad finem vergente, eorum juvenum adscriberetur numero, qui sub auspiciis summi hujus viri homileticis catecheticisque exercitationibus operam darent. Hujus demum viri aliorumque celeberrimorum testimoniis ornatus, anno 1791 ineunte, sacrorum in ecclesia Nörhaae, praefecturae Alburgensis, minister a clementissimo Rege constitutus est.

Eodem anno matrimonium inivit cum virgine Christiana Saphia Koch, pastoris maxime venerandi Johannis Petri Koch, sacrorum Horbeloviae et Falqvarsloviae in Falstria ministri, filia. Quinquennio jam, et quod excurrit, mandatae sibi ecclesiae sacris praefuit, et, gravibus licet pressus curis de vita sua et familiae sustentanda, aedibusque omnino collapsis restituendis, quarum priori vix ac ne vix quidem suffecerunt modici muneris reditus; non oppressus tamen fuit, neque ab artibus liberalibus studiisque sacris avelli se passus est. Legit assidue, quae et quantum in remotiori isto angulo licebat. Quaedam ipse et theologica et poetica composuit specimina, quorum plurima tamen scriniis recondita adhuc premuntur, sive ultimam exspectantia limam, sive temporis otiique opportunitatem. Primas heic duxit carminis epici de Israële liberato lineas, librosque, qui de luctu sacrisque Aegyptiorum agunt, composuit; nihil tamen sub hocce opere de constituto carminis epici proemio cogitans, cum temporis, ad hocce proemium adspiraturis constituti, spatium anno jam 1792 elapsum esset; eodem nempe anno, quo ille verbis Herderi (von Geist der hebr. Poesie 2 Th. p. 78.) ad conamina ista primum sit excitatus. Anno medio 1796 ecclesiarum, quae Butterupiae et Tudsæ in Siellandia vigent, pastor constitutus est; eoque per tres, et quod excurrit, annos munere functum ad sacra Corsoræ Taarnborgicaeque parochiae administranda anno 1800 clementia regia vocavit. Ut in illo jam munere rei scholasticae, sumtibus et sub auspiciis generosissimi liberalissimique fautoris, liberi Baronis de Lövenskiold, emendandae et constituendae interfuerat; ita in novo munere et scholae et publicae pauperum curae formandae regendaeque maximo incubuit opere. A societate pro scientiis liberalibus promovendis Havniensi jam excitatus, carmini suo epico summam imposuit manum, idque in lucem edidit. Ne vero humanorum Corsorianorum, quo auctus indies fuit, amor, liberalium superiorum in munere favor, et doctissimorum denique atque praestantissimorum virorum laudes animos ei facerent; occidit puerperio eheu funesto dulcissima conjux, quam pietate, lenitudine, diligentia, integritate denique et mentis et morum rarissima, insignem, immortali prosequetur amore.

Verum faustior mox orbato dies illuxit. Regia nempe clementia ad aliud avocabatur munus, anno 1804 cathedralis ædis Roeskildensis Nomarchiæqve Sömmensis præpositus et ecclesiæ Roeskildensis pastor primarius creatus. Carissimis sex liberis, quinque nempe filiis unigve filiæ, quos etiamnum pupillos huc secum ducturus erat, novam, eandemqve præstantissimam, matrem elegit, defunctæ scilicet sororem, Elisam Christentiam Koch, quæ superiori viro, Severino Thrige, causarum patrono, viduata, hujus secum illi attulit filium, præstantissimum tum puerum, jam adolescentem scholæqve Roeskildensis ornatissimum adjunctum, Johannem Petrum Thrige. Cum novus deinde decretus esset rerum clericarum scholasticarumqve dirigendarum ordo, Præfecturæ Havniensis novis quatuor nomarchiis an. 1808 præpositus est; cui deniqve regiæ summæ clementiæ accessit, quod anno 1812 aurea equestris ordinis dannebrogici cruce sit ornatus. Ceterum quæ illi, jam decimum tertium heic agenti annum, fausta in domo æque ac in munere, plura sane quam ut enumerari possint, accidere, memori semper gratoqve servabit recoletqve animo. Rebus ut ecclesiarum ita scholarum egenorumqve tam urbis quam præfecturæ, nec non beneficis majorum institutis donationibusqve publicis, quorum in urbe haud pauca sunt, quibusqve per decem fere annos præfuit, inspiciendis, administrandis conservandisque haud defuit; nec illi justa inde defuit merces, superiorum nempe ut inferiorum gratia favorqve. Bibliothecæ dioeceseos Siellandiæ, quæ Roeskildiæ servatur, sub auspiciis ductuqve S. V. illustrissimi Episcopi Münteri prima jecit fundamenta; ejusqve paullisper increscentis administrationi incumbit. Filiorum quatuor, literis in cathedrali schola Roeskildensi imbutorum, tres alma jam universitas Hauniensis excepit, maximum studiis theologicis initium dimisit, ambos reliquos brevi juridicis medicisque artibus instructos redditura. Exceptis anonymis quibusdam, puerili maxime ætate scriptis, quorum quæ tempus tulerint, dispersaqve plerumqve in ephemeridibus inveniantur, non pudet, quæ vero perierint, non dolet; sequentia auctoris nomine insignita publici juris feci:

Det befriede Israel. Kb. 1804.

Mindesang over H. K. H. Arveprinds Frederik. Kh. 1806.

Tale og Sange paa H. M. Dronningens Fødselsdag. Kh. 1808.

Religionens Tröst og Raad til den danske Christen under Fædrenelandets nærværende Stilling. Kh. 1814.

Mindetale over Kong Christian den Syvende. Kh. 1814.

Johannes's Aabenbaring, metrisk oversat. Kh. 1816.

quæ quidem versio, inter negotia literaria synodorum siellandicarum particulatim lecta, horum inter monumenta typis impressa habetur, vid. Videnskabl. Forhandl. ved Sjellands Landemode 2. B. 3 Heft. Cui præterea operi ex nostro inserta sunt:

Om Lighederne i de tre første canoniske Evangelier. vid. Forhandl. 1 B. 1 H.

De Pentateuchi legumque mosaicarum in libris Regum vestigiis spec. I-II. vid. Forhandl. 2 B. 2. 3. H. Ejusdem vero disquisitionis 3^{ium} et 4^{um} specim. huic operi inserenda, jam sub prelo sunt.

His haud temere forsā addendum est, quod carmen istud comico-heroicum: *Reisen til Helikon af Jeppe Jeppesen*: quod in lex. lit. Wormii Nostro tribuitur, fratrem ejus, Christianum Hertz, jam vita defunctum, autorem habeat.

B. JURISCONSULTORUM.

VI.

Natus sum ego CHRISTIANUS LENTHE ADELER, in prædio privilegiato Lundbek prope Aalborgum in Cimbria biduo Calendas Decembres a. 1784. Parentum utrumque divum veneror. Pater *Conradus Wilhelmus* liber Baro de *Adeler*, Claviger Regius & Eques ord. Danebr., eodem anno, quo lucem vidi, decedens me infantem semestrem reliquit. Post mihi quadrimulo erepta est mater *Cæcilia Dorothea Mohrsen*, libero Baroni *Juel-Ryssensteen* in matrimonium ante collocata, quam viduam relictam pater meus uxorem duxerat. Exstincta dulcissima matre, frater meus, quem patrem expertus, non fratris tantum sed filii simul tenerrimo amore prosecutus sum, cujusque erga me merita nulla unquam oblivio delebit — educationis meæ curam paterno affectu in se suscepit. Is mei amantissimus, in defuncti patris locum succedens, ipse tum sine prole, neque curæ neque sumtibus pepercit, quos sumtus ut e re sua promptos impenderet, mea res familiaris tum valde tenuis effecit. Anno 1791 nomen meum in album militare est relatū. Literis tamen imbuebar, & disciplinis, quæ corpus & animum fingunt, instituebar, ut, quod esset fratris de me optime meriti præclarum consilium, ipse maturi judicii vitæque instituto eligendo par, quem mallet, vitæ cursum constituerem. Curæ viri amplissimi & perillustri *Cold*, nunc a Consiliis Conferentiarum, traditus, per aliquot annos in illius domo mansi, egregio hoc viro, consiliorum et studiorum moderatore, utens. Eodem tempore scholam, qua posteritatis commodum intendi ipsum nomen significat (*Efterslægtsskolen*) frequentavi, cui scholæ præfuit is, cujus nomen nos omnes sui discipuli pie veneramur, *E. Storm*. Dehinc præceptor solidæ doctrinæ magnique acuminis *J. A. Marcussen*, Holsatus, qui paucis abhinc annis vita functus, & tum parochiis *Adelersborg* & *Faareveile* antistes sacrorum datus, ulteriorem profectum juvit & ad Academiam me dimisit. A. 1799 a viro summe venerando, Universitatis Havnensis nunc Seniore, *Abr. Kallio*, post probatum in artibus liberalibus profectum, civium Academicorum ordini adscriptus sum. Eodem anno examen, civibus Universitatis, ad studium Juris ani-

mum adplicantibus, concessum sustinui, a Censoribus intelligentissimis & doctissimis A. Kallio, B. Risbrighio, J. Badenio & Th. Bugge cum Laude admissus. Tum Juris studio me totum dedi, mihi que felici sorte obtigit dux, qui nunc est Juris Professor, Doctor et Assessor Consistorii *M. H. Bornemann*. Fidelissimi hujus ducis opera effectum est, ut, quamvis bellona impeditus, cujus tuba mensibus Aprili & Majo a. 1801 cives ad arma vocabat & pacis studia prosternebat, Juridico examine jam ejusdem anni autumnum meum profectum in Juris prudentia explorandum verecunde subjicerem. Examinatus sum mense Octobri ab amplissimis & illustrissimis Censoribus Nörregaardio, Schegelio, Brorsonio & Kallio, singulari Censorum comprobatione Laudabilis æstimatus. Pridie Nonarum Novembris ejusdem anni practicum examen sustinui, Laudabili quoque caractere dignus judicatus. A. 1802 fratrem meum, Dioeceseos Nidarosiensis præfectum renunciatum, comitatus, eo rectore ac duce, tam domi quam in itineribus, quæ ut frater susciperet muneris ratio poscebat, ei a manu, aliquem rerum usum comparans, mea qualicumque Jurisperitia uti, & negotia publica scienter ac religiose administrare aggressus sum. A. 1803 ab hisce pacis studiis & negotiis ad arma pro patria capessenda raptus, quo tempore copię prope terminos Daniæ meridionales contrahebantur, castra sequens, patriæ, quam possem, operam militarem præstare studui. Quamdiu belli flamma caræ patriæ minitaretur, tamdiu pedem referre & a militia vacare contra officium duxi. Sub finem a. 1810 ab Augustissimo & Clementissimo Rege collegio, quod Aalburgi ad Norvegiæ prospiciendum, ne rerum ad victum & bellum gerendum necessariarum inopia laboraret, ceu membrum interesse jussus sum. Hisce laboribus a. 1814 cessantibus, illud idem collegium tamen, jussu Aug. Regis, mutato nomine permansit &, additis rerum & negotiorum partibus, quæ ut ordinarentur regnorum sejunctio effecit, adhuc durat. A. 1814 mihi licuit Lutetiam Parisiorum & Londinum adire. In priori loco meritissimus noster a Consiliis Status & Professor *Engelstoft*, Equitis & Bibliothecarii *Millini* aditum mihi benigne patefecit. Hujus egregii Parisiensis humanitatem & paratam ad externos in literis juvandos multi jam digne prædicarunt, eandemque me quoque expertum gratus testor. Huic viro limatissimi ingenii & moribus politissimo debeo aditum tam thesaurorum cognitionis, qui in bibliotheca Regia servantur, quam virorum Galliæ eruditionis laude florentissimorum. Utroque beneficio quo minus ex voto uti possem, breve Parisiis commorandi tempus mihi concessum prohibuit. Augustissimo jubente publice tria itinera suscepi, primum in Norvegiam a. 1813, duoque itinera in Sueciam a. 1815, nimirum Gothenburgum & Holmiam. A. 1816 Berolinum, Thermas Caroli & Pymontium petii. A. 1802 cubicularius nobilis secundi ordinis & festo inaurationis solenni Aug. Regis & Aug. Reginæ Claviger Regius factus sum.

Spatio militari decurso, & re familiari morte fratris aucta, ad pacis artes, Jurisscientiam & humanitatis studia redii. Utrique studio mire profuit consuetudo & familiaritas cum viro doctissimo J. J. Gudenrath, ab epistolis, cujus merita alii doctorandi ante me debitis laudibus ornarunt, seque ab eodem duce non parum adjutos fassi sunt.

Nunc quid vires in disciplinarum genere, cui otium consecraveram, valerent experiri cupiens, & eruditissimorum virorum, intelligentium ac æquorum æstimatorum, judicium de meo qualicunque eruditionis specimine simul expetens; rapui occasionem de die. Ego idem festo solenni, quo memoria sacrorum emendatorum sæculo tertio vertente celebratur, velut vocante, in communionem gaudii publici & universæ rei literariæ veniendi studio flagrans, conscripsi: *Commentationem de poena homicidii secundum leges Danicas*, quam, ut specimen inaugurale a Juris consultissimis & eruditissimis Juridicæ Facultatis Membris comprobata, publico eruditorum examini verecunde subjeci.

VII.

Ego CASPARVS FRIDERICVS LASSEN Anno 1776 natus egregium habui patrem mihi nunquam obliviscendum, a consiliis justitiæ et quondam ludorum regionum inspectorem Nicolaum Lassenium, cujus vitæ calamitatibus jam dudum finem imposuit mors. Mater summa pietate colenda Dorothea Fortling in vivis est. Privata institutione edoctus, examen quod dicunt artium, anno 1792 subivi, indeque publico encomio ornatus discessi. Annuo inde spatio peracto, cum tentamini philosophico atque philologico me obtulissem, a censoribus insigniter laudatus fui, indeque post dimidium annum elapsum senatus academicus me donavit stipendio medico, quò per definitum statutis quinquennium fruitus sum, ceterum inter ea quoque communitatis alumnorum numero adscriptus. Sic autem instructus prætereaque Augustissimi principis, cujus in coelo agentis memoria summa reverentia prosequenda est, ducis Augustoburgici et universitatis Hauniensis patroni, beneficiis adjutus juris scientiæ studio me dedi. Cum vero ei vacans brevi cognovissem, quanti juris studioso esset philosophia, hujus cultum qui præterea mihi arridebat, non omisi. Inprimis autem præcipua scripta celeberrimi Immanuelis Kantii studiose pervolvi, ita tamen ut anteriorum disciplinas non neglexerim. Ceterum studio, cui proprie me addixeram, vacans, prælectionibus, quas habuerunt clarissimi viri, Nørregaard, Cold, Schlegel et Eggers, gavisus fui. Diu vero non contigit mihi doctissimum facundia tantopere pollentem audire Coldium, qui alio officio a munere docendi avocabatur. Eo magis vero frui mihi licuit uberrimo auxilio, quod in me contulit singulari doctrina excellens Schlegel, cujus insignis benevolentia nunquam

quam obliviscar. Tantum cum profecisse mihi persuasum esset, ut pro corolla academica certare auderem, anno 1796 dissertationem de testamentis latine scripsi, pro qua censorum maxime honorifica sententia præmium aureum mihi addictum fuit. Sequentis anni mense aprili examen juridicum latinum cum laude sustinui. Dehinc temporis, quod antea jam inceperam, continuavi, privatum scilicet juris studiosos docere. Interea vero cum in me orta esset cupido viam academicam accedendi, duplici vice anno scilicet 1798 et 1799 in certamen pro munere adjuncti facultatis juridicæ descendere ausus fui. Licet vero mihi non omnino exoptatus fuerit eventus, tantum nihilosecius assecutus sum, ut me dignum judicarent censores, quem regi commendarent. Mihi vero etiam salutarem fuisse hanc commendationem credere licet, cum sub finem anni 1800, nullo alio juridico munere publico functus Assessor juris aulici et urbis extraordinarius creatus sim. Tribus fere mensibus inde peractis numero ordinariorum assessorum ejusdem tribunalis adscriptus, eodem munere functus fui usque dum anni 1810 die 5to mensis Junii in locum defuncti egregii viri, mihiq̄ue amicissimi Petri Bagger, tum Justitiiarii juris politicæ Hauniensis, succederem. Quod vero intra hunc temporis finem contigit, undeque vita mihi maxime arridere coepit, momentum vitæ haud præterire me oportet. Illud scilicet respicio, quod anno 1807 mihi carissimam uxorem duxerim Mariam Severinam Kreutzfeldt, ex qua perdilectos sex sustuli liberos. Ceterum muneris justitiiarii functionem continuavi usque ad mensem Aprilem anni 1813, quo mihi contigit quod diu exoptaveram, adire munus assessoris supremi judicii. Pro virili me satis fecisse publicis officiis mihi demandatis, eo magis confido, cum hæc mea spes confirmata esse videatur eo, quod anno 1811 a consiliis justitiæ et anno 1815 die 28 mensis Julii a consiliis status me creaverit augustissimus Rex. Scripta, quæ hucusque in lucem edidi, haud ita multa sunt. Præter prælectionem de relatione juris atque officii habitam occasione certaminis supra commemorati, quæ vero exstat in libro menstruo Minerva dicto, et dissertatiunculam, quam ut alumnus collegii medicæi elaboravi de jure eminente, sequentes scripsi tractationes:

- 1) de reimpressione (Eftertryk).
- 2) de onere probandi, præcipue ratione habita ad leges patrias.
- 3) de principiis juris interpretandi imprimis respectu juris patrii; quarum prima exstat in libro menstruo, quem una cum mihi amicissimis viris, a consiliis status equitis danebrogici Jona Collin et administratore mensæ publicæ Thomsen edidi; altera in libro, qui insignitus fuit juridisk Maanedstidende, cujus etiam una cum aliis editor fui; et tertia denique in libro insignito nyt juridisk Arkiv, cujus editor est celeberrimus i. u. Doctor nobisque amicissimus a consiliis status et eques ordinis danebrogici Ørsted; denique vero

cum

cum mihi pro summis in jurisscientia honoribus certare mihi oblatum fuerit, dissertationem de jure dominantem constituendi religionem scripsi.

VIII.

Cum ego JANUS LAURENTIUS ANDREAS KOLDERUP ROSENVINGE Actis solennibus Universitatis Havniensis, in festa augustissimi Regis augustissimæque Reginae inauguratione editis, vitæ delineationem jam inseruerim, heic ea modo, quæ annis duobus post illud tempus proxime elapsis mihi contigerint, succincte commemoranda sunt. Festa illa occasione gradum Licentiati juris, dissertatione die 28^o Julii 1815 defensa, adeptus, a Rege augustissimo duos post menses Adjunctus Facultatis juridicæ in alma hac Universitate constitutus sum; cui ut muneri satisfacerem, publicis prælectionibus per quatuor semestria academica varias partes juris patrii, recentioris et antiqui, nec non encyclopædiam juris tradidi. Hoc, quem nunc agimus, anno, Societati literar. Scandinavicæ me inter sodales recipere placuit. Eodem anno dissertationis, cujus pro gradu Licentiati Sectionem priorem defendi, alteram partem: "*Dissertatio de usu juramenti in litibus probandis et decidendis juxta leges Daniæ antiquas; Sectio secunda; de juramento partium cum consacramentalibus,*" inscriptam, ad summos in utroque jure honores rite obtinendos, conscripsi. Cæteras, quas illo tempore minusculas elaboravi opellas, nunc pro more a majoribus recepto, heic recensere liceat:

Om Edens Anvendelse til Beviis og til Retstrætters Afgjørelse efter de gamle danske Love, in *Nyt juridisk Archiv* vol. 14^o pag. 1-154 (Est versio dissertationis inauguralis sectionis prioris danica, nonnihil mutata atque adaucta.)

Bemærkninger ved Hr. Dr. Professor Vedel Simonsens Skrift: "Den danske Adels- og Ridderstands Historie, indtil den i Danmark indførte Souverainitet. Første Deels første Hæfte. Kh. 1816, in *Nyt jurid. Arch.* vol. 17^{mo} pag. 102-139.

Ere Börnebörn pligtige til at indføre i Bedsteforældrenes Bo, hvad disse have givet deres Börn? in *Nyt jurid. Arch.* vol. 17^{mo} pag. 140-165.

Om den oprindelige Bemærkelse af Ordene Mord og Mordbrand, in *Nyt jurid. Arch.* vol. 17^{mo} pag. 166-178.

Bemærkninger om Fortolkningen af Danske Lovs 5^{te} B. 8. Cap. 14 Art., in *Nyt jurid. Arch.* vol. 19^{no} pag. 176-191.

IX.

Natus sum ego JANUS KRAGH HÖST d. 15 Sept. anno 1772, in insula Indiæ occidentalis, sancti Thomæ dicta, patre *Georgio Höst*, tunc in Consilium Secretum ibidem constitutum adscripto variisque

aliis muneribus præposito, matre carissima, etiamnum superstite, *Birgitta Henrica Kragh*, filia postea defuncti Jani Kragh, eo tempore militum Tribuni atque insulæ modo nominatæ Præfecti. Quarto ætatis anno necdum completo cum parentibus Havniam profectus sum, ubi tum pater me literis, ad humanitatem pertinentibus, imbuendum curavit, præclaro sui ipsius inter doctos nomine ad imitationem excitans. Contigit quoque mihi, ab anno inde 1783 per quinquennium magistro uti *S. V. Joh. Kattrup*, solidæ pariter ac elegantis eruditionis viro, qui id maxime agebat, ut firma in lingvis veteribus fundamenta ponerem. Historici studii amorem mihi præsertim *Fred. Sneedorf* inspiravit; idem me in Academiam dimisit, eheu post paucos annos acerba morte raptus. In examine artium, a. 1788, quum insignem omnium, qui profectus meos exploraverant, Professorum laudem retulisset; loco inter ejusdem anni tiro-nes, qui encomium publicum reportarunt, dignus fui habitus. Semestri transacto tempore examen et philosophicum et philologicum sustinui, eodem gaudens successu, quippe qui, cunctis æstimatori- bus laudem mihi largitis, solus publico ornatus encomio discederem. Ad jurisscientiam discendam conversus *Nörregaard*, *Cold* et *Schlegel* consultissimos doctores, attente audivi, usque adeo donec, anno 1792 ineunte, in examine juridico progressus meos iudicibus laudabiles probarem. Eodem anno, patronus causarum ad Tribu- nal aulæ et urbis havniense creatus, patrem, tunc Regi a Consiliis Status nec non a secretis Curæ rerum exterarum, sanitatem resti- tuendi causa thermas Wiesbadiæ petentem comitabar; in via tum Gottingæ aliquantis moratus Heyne, Gatterer, Schlözer, Spitt- ler, alia Georgiæ Augustæ decora cognoscebam. Fefellit autem vota illud iter; oppetiit enim brevi post reditum pater optimus, æternum sui desiderium mihi relinquens. Jam vero ante mortem ipsius auctorum catervæ me vicenarium immiscueram, nec sine ap- plausu, eorum, qui tunc temporis libros publice æstimabant: Abra- hamson, Tode, Er. Fleischer, al., quibus *J. J. Gudenrath*, virum doctrina et humanitate pariter præstantem, grata memoria addo. Mandaverat mihi jam sua vice, in libellis, quos edebat, mensuris nuperrima orbis nostri eventa consignare celeberrimus *Pram*, in- tegrum nunc tricennium eximio favore me prosequutus; adjunxerat sibi me in actis littèrariis conscribendis socium longe meritissimus *Nyerup*, cujus amicitiam sinceram inter vitæ dulcissima dona re- fero. Patre orbatus, eodem, 1794, Londinum Scanorum excur- sum feci, qui, subinde repetitus, cum *Lidbeck*, *Rosenskiold* et *Sjö- borg*, istius academiæ Professoribus, irrupta nectendi vincula oc- casionem mihi præbuit. Idem pluribus meis ad literas svecicas cum danicis copulandas coeptis ortum dedit; nec unquam, per varios casus per tot discrimina rerum, spes illa commemorato iustituto aliquatenus consulendi, mihi abiit. Eâdem ductus, primum cum viris notissimis *Haste* et *F. Höegh Guldberg*, posthac solus, scrip- tum

tum periodicum dano svecicum edidi, quod, licet complurium rei nostræ literariæ luminum: Pram, Gutfeld, P. A. Heiberg, M. C. Brun, aliorum adjutum, brevi exstinguebatur; malis vero neutiquam cedens, anno 1796, cum clarissimis *Nyerup*, *Pram* et *Baggesen* consilia de societate, quæ destinatum illud efficeret, instituenda contuli. Neque cunctati sunt excellentissimi viri: *P. C. Abildgaard*, *N. Abildgaard*, *Abrahamson*, *Hauch*, *Kierulf*, *Münter*, *Sander* et *Suhm* consortium sibi propositum inire unaque cum nobis *Societatem literariam Scandinavicam* condere. Nova Societas munus secretarii mihi ad triennium demandavit, quam nominationem, constituto tempore elapso, iteravit; tertiam deprecatus sum, aliis districtus negotiis. In sodalium tamen numero remanens identidem in coetibus opuscula recitavi, quorum novissimum defunctorum sociorum laudationem continens, haud dum in vulgus prodiit. Interea itinere a. 1798 Holmiam et Upsaliam facto cum linguam literasque svecicas penitus noveram, tum complures fautores atque amicos paraveram, quorum memoriam nulla delebit dies: *Oxenstjerna*, *Rosenstein*, *Lindblom*, *Hallenberg*, *Almquist*, *Stenhammer*, *Gistrén*, *Ruthström* al. Quidquid erit, cum magnis me vixisse invita fatebitur ætas! — Minime vero, dum hæc gerebantur, themidis cultui renuntiaveram, cujus rei veritatem probandi mihi in patriam reduci occasio sese obtulit. Munus *Adjuncti Facultatis Juridicæ Havniensis*, anno 1799, ei mandandum erat, qui e publicarum prælectionum certamine victoriam reportasset. Competitores sese exhibebant, præter me, *Bornemann*, *A. S. Ørsted*, *Krogh*, *C. F. Lassen* et *Bildsted*. Optato equidem non potitus fui; attamen, sententiis judicum designatorum, honorificum inter illos — nunc jamdudum omnes civili dignitate conspicuos — candidatos locum obtinui. Brevi postea, commendatione benevolentissimi *Schlegel*, quem gratus semper venerabor, secretarius ad tribunal supremum evasi, quo in munere mihi illus tribunalis præsidem *Jac. Edv. Colbjørnsen* conciliare contigit, eo tempore Jurisconsultorum Daniæ facile principem, fautorem mihi, dum vivam, pia memoria recolendum. Anno 1802 Assessor in Tribunali aulæ et urbis havniensī factus, hocce munus per quinquennium obiit. Causarum, quæ me in vitam privatam redegerunt, hic eo minus meminisse juvat, quum illam materiam id temporis palam pertractaverim. A munere publico vacans præsertim in scriptis componendis atque edendis versatus sum, quorum æstimatio publica, et foris et domi, ut plurimum mihi ex voto cessit. Prælectiones quoque per triennium, a. 1812-1815, nunc de poësi linguaque svecicis, nunc de rebus in patria cum antiquissimo tum novissimo tempore gestis, nunc denique de iis quæ in Europa nostro ævo acciderant, habui, ea comprobatione gaudens, ut non solum centum et puod excurrit, auditores, verum etiam, inter eosdem, viri senectute, muneribus, ingenio vel doctrinâ insignes adfuerint. Iter vero, quod anno 1810

cum *G. H. Olsen*, amico integerrimo, Holmiam feci, ad literas haud spectavit, etsi scripta quædam progenit. Ceterum ibi tum amicos veteres revisi, tum novos paravi: Wallmark, Granberg al. Anno 1799 societati Scientiarum Norvagicæ sodalis adscriptus sum. Anno 1802 uxorem duxi *Susannam Margaritam Oxholm*, filiam Georgii Oxholm, in classe bellica quondam Centurionis, neptem præclarissimi P. C. Abildgaard, quæ mihi fortunam secundam reddidit lætiores, adversam mitiores, liberosque peperit, quorum consuetudine incommoda hujus vitæ oblivioni trado.

Scripta, quæ in vulgus edidi, fere hæc sunt:

Numa Pompilius Roms anden Konge, af Florian. Oversat (fra Fransk) 1792. 2 vol.

Det blinde Ægtepar eller Bönnörelsen, en Fortælling af Schummel. Oversat (fra Tysk) 1792.

Indledning til en Fortælling om Naturrettens Skjæbne i Danmark, cujus tractationis in ephemeride: *Samleren*, a. 1793, insertæ nonnulla exempla separatim exstant.

Quæ in civitatibus novissime evenerant, descripsi primum in *Minerva* 1793 vol. I., postea in *Journal for Politik, Natur- og Menneskekundskab* 1794-1796.

Complures librorum annuntiationes tum in *Kjöbenhavnske lærde Efterretninger* ab anno inde 1793 usque ad 1802, tum in *Efterretninger om indenlandsk Literatur* 1793-1795.

Er man berettiget til offentlig at navngive anonyme Forfattere? in *Minerva* a. 1793 sept. cui, ab alio auctore, (Nyerup) oppugnatus, addidi: *Replik i Sagen angaaende anonyme Forfatteres offentlige Navngivelse* in *Minerva* 1793 Dec.

Dana — scriptum periodicum, cujus vol. I^{um} a. 1793, junctâ cum Fr. Höegh Guldberg et J. Schmidt opera edidi, cujusque vol. II^{do}, quod S. Poulsen edidit, symbolas contuli.

Om danske Duellove in *Minerva* 1794 mense Julio insertum.

Forsög til en Udsigt over de skjønne Videnskabers Skjæbne in *Minerva* ej. a. Oct. et simul in separatis exemplaribus.

Bidrag til en Udsigt over Trykkefrihedens Skjæbne i Sverige in *Minerva* e. a. Nov. — Noviora fata libertatis preli in Svecia tractatu, Societati Scandinavicæ recitato, at haud dum edito, consignavi.

Selmours, Claudine, Selico, Zoraide og Abenhamed, fire Fortællinger af Florian, oversatte (fra Fransk) 1795.

Operis, quod H. J. Birch edidit: *Billedgallerie for Fruentimmer*, partem quandam conscripsi.

Nordia (scriptum periodicum svecico-danicum) 1795 vol. 4.

Skrifter oplæste i en Samling af Studerende ved Upsala Akademie 1795. Nordiæ quoque insertum.

Lommebog for Fruentimmer 1796.

Amalia Seckendorf. En liden Piges Historie bestemt til Sædernes Dannelse især for den qvindelige Ungdom. Oversat fra Tysk 1796. secunda editio prodiit 1812.

Landsbyen Aquielas af J. B. Pollin. Oversat af Fransk 1796.

In libellis menstruis *Iris* et *Hebe* a. 1796 sq. disquisitionunculæ de summa nostra lege nascendi, de suicidio, de immortalitate animi pl.

Euphrosyne, 1766 sq. vol. 3, scriptum periodicum sexui muliebri aptatum atque symbolis Pram, Schack-Staffeldt, M. C. Brun, Heber, aliorum, ornatum.

Nye Efterretninger om udenlandsk Literatur 1786-1796 vol. 3, scriptum periodicum, juvantibus Collin, Sveistrup pl., a me editum.

In *Skandinavisk Museum*, præter annuntiationes aliquas librorum, tractatus de poetis Svecicis Kellgren, et Stjernhjelm, nec non de poetiis svecicis, primæ lineæ vitæ Friderici Quinti Regis Daniæ, et, quod separatim quoque prodiit.

Udsigt over den svenske Digtekunstes Skjæbne i de nyeste Tider. anno 1804.

Svenske Blade a. 1798 sq. vol. 2.

Philosophisk Repertorium, scriptum periodicum; 1798 cum Collin, A. S. Ørsted et Sveistrup editum.

Draabe i Nytaarsbögenes Hav, 1799.

Svensk Haandordbog for Danske, 1799.

In *Danskes Reiseiagttagelser*, udgivne ved Neumann castigatio quædam famosi Merkel, de Danicis rebus fabulati.

Om Danmarks og Englands gjensidige Retsforhold med Hensyn paa den nye nordiske Convention af C. U. D. v. Eggers. Efter det tyske Manuskript oversat, 1801.

Gonsalvo af Cordova, af Florian; oversat af Fransk 1801, vol. 2, vita auctoris præmissa.

Juridisk Maanedstidende 1802-1803, ed. cum C. F. Lassen, B. H. Munthe de Morgenstjerne et A. S. Ørsted, et, præter alia mea, prælectiones de statu civili viduarum atque de juramento purgatorio continens.

Ei blot til Lyst 1802-1803; vol. 4, scriptum periodicum, cui symbolas contulerunt Nyerup, G. H. Olsen, Schack-Staffeldt, alii.

Konkordatet imellem den franske Regjering og Pave Pius den 7^{de}. *Tilligemed de Buller, Taler og Anordninger, der have Hensyn paa Indretningen af Gudsdyrkelserne i Frankrige*, 1802.

Poul og Virginia, af F. B. de Saint Pierre. oversat af Fransk 1802.

Læsning for det smukke Kjon, 1804.

Juridisk Lommebog for Aaret 1804; eodem anno editum.

Theatret, et Ugeblad, 1805-1806, cujus in vicem successit

Theatret, det lille og det store, 1806-1807, quod porro excepit

Theaterblad, 1807-1808.

In *Biographen*, vol. 1, a. 1803, vitæ virorum Franklin, Howard, Mohamed, Schiller et Gramman Quassi.

Læsning for Damer, 1803, vol. 2.

Kort svensk Sproglære for Danske, 1808; secunda editio 1817.

Komus og Momus — collectio dictorum factorumque lepidorum, quam Rahbek inchoaverat.

Kort Udsigt over Gustaf IV's Levnet og Regjering, 1808.

Mærkværdigheder i Dannerkongens Christian den 7^{des} Levnet og Regjering, 1810.

Udsigt over Fædrenelandets Historie 1810; ed. 1814.

En Borgerstemme i en Sag af Vigtighed, 1810.

Historiske Efterretninger om Carl August Sverriges Kronprinds tilligemed den over ham af Biskop Rosenstein holdne Ligpræken, oversatte fra Svensk 1810, sec. ed. e. a.

Kort Udsigt over Gustaf IV's sidste Regjeringsaar, 1809.

De Franskes Keiser Napoleons Levnet, a. 1810, sq. vol. 2.

Kronprindsen af Sverriges Levnet, 1810.

Almeenlæsning, 1810; scriptum periodicum.

Indledning til Jordbeskrivelsen af Gaspari, oversat fra Tysk 1811; additamentis auctum.

Odin eller Asernes Udvandring, Tragedie i fem Akter af Carl Gustaf Leopold. Fra det Svenske, 1812.

Skildringer af Nutidens Feltherrer, 1812 sq., vitæ Vellingtonis et Blücheri in svecicam lingvam translata sunt.

Clio. Et Bidrag til Læsning for den fædrelandske Histories Yndere, 1813 sq., part. 2.

Entwurf einer Geschichte der dänische Monarchie unter der Regierung Christian des VII. 1813-1816, vol. 3.

Den nyeste svenske Revolutions Historie, 1813.

Tidsvinger, en Samling af Fortællinger, ved Langbein. Oversat (fra Tysk) 1813.

Bellona, et Tidsskrift til Kundskab om den nyeste Tids Krige og Krigende; modo una portio.

Lueder om Jødernes Forædling, oversat fra Tysk 1813. Tilleg til *Forerindringen* for Lueder e. a.

Villaumes Prøvelse af Skriftet: Moses og Jesus, oversat fra Tysk 1813.

Friderich Buchholzes Erklæring med Hensyn paa Oversættelsen af Moses og Jesus, oversat og med Anmærkninger forøget 1813.

Dannora, 1813-1814, cujus in locum subiit

Den nordiske Tilskuer 1814-15, utraque donis a Baggesen, Gutfeld, Herholdt, Nyerup, Sander, al. ornata.

Historisk Efterretning om Kroninger og Salvinger i Danmark samt med dem forbundne Høitideligheder i ældre og nyere Tider, 1815.

Blomsterkrandsen. Smaa Romaner, oversatte (fra Fransk og Tysk) 1815.

Fortællinger for min Datter til Aands og Hjertes Dannelse. Efter Bouillys franske Original, 1815.

Dagsposten 1816 - Aug. 1817; *acta literaria autem, nomine Söndagsbladet*, a me continuantur.

Fædrelandet. Forsög til en kort Beskrivelse over den danske Stat 1816.

Præterea et versiculi in collectionibus: *Nytaarsgave for Damer, Aglaja, Idunna.*

Pro summis in jure honoribus rite obtinendis dissertationem composui: *de injuriis verbalibus secundum leges danicas nunc vigentes.*

C. MEDICORUM.

a) *Honoris causa* Doctores Medicinæ creabuntur viri Illustrissimi:

CHRISTIANUS FRIEDERICUS SCHUMACHER, et
ANDREAS THULSTRUP.

X.

Natus sum ego CHRISTIANUS FRIEDERICUS SCHUMACHER, Tycho poli, urbe Holsatiæ, XVII Calend. Novbr. anno MDCCLVII patre Joachimo Christiano Schumacher, qui tunc erat legioni Slesvicenci pedestri sublegatus, matreque Carolina Magdalena Loften, dudum defunctis.

Rendsburgi, quam in urbem ut puer mittebar, primis literarum elementis imbutus sum, et disciplinarum imprimis, quas dicunt, scholasticarum studio operam navavi, scholam, quam tunc moderabatur, nunc mortuus, Wagner, in ea urbis parte, cui nomen est Neuenwerck, sitam, ad annum usque ætatis decimum circiter sextum frequentans. Attamen cum jam ab anno ætatis decimo tertio institutioni chirurgi legionarii Mehli, jam quoque rebus humanis erepti, simul uti mihi contigisset, hoc mihi sane non parvo fuit usui. Hic enim præclarus atque experientissimus vir me edocuit (quantum scilicet sinebat tempus locusque) ita tamen in omnibus medicinæ et chirurgiæ partibus, ut jam vix sedecim annos natus, dignus putarer, qui cohorti cuidam ejusdem legionis, cui tunc erat nomen ab insula Mona, tanquam chirurgus præficerer, atque ut durante ejus institutione, paulo post cura nosocomii legionis mihi mandaretur. Data autem a præfecto legionario venia, anni MDCCLXXVII mense Septembri academiam Havniensem adii, ut artis medicæ ac chirurgiæ studio totus me darem. Hic mihi contigit professorum, qui medicas academici nostræ cathedras tum ornabant, Rottbölli, Saxtorff, Callisen, et Todii nec non Henning-

sii, tunc directoris generalis chirurgiæ, prælectiones audire et nosocomium regium Fridericianum visitare. Primis historiæ naturalis elementis Professor Vahl, nunc defunctus, me imbuat. Vere deinde anni MDCCLXXVIII cum animadverteret Rottböll, tunc regi a consiliis Justitiæ, nunc quoque defunctus, animum mihi propendere ad rem anatomicam uberius cognoscendam, anchyologicos omnes apparatus in prælectionibus ejus hac de parte Anatomiciæ habitis, adhibendos præparandi munus mihi demandans, hoc nomine me amplius est adhortatus. Quibus rebus factum est, ut primum examen, quod tentamen dicitur chirurgicum, sustinere possem. Præterlapso autem jam tempore mihi concessio ad legionem iterum sum reversus.

Sed jam eodem anno MDCCLXXVIII a Rottböllio, quem gratus donec vivam pie venerabor, ut hæc in academia munere prosectoris fungerer revocatus, hac vocatione audita, atque dimissione a præfecto legionario flagitata, rude donatus, autumno ejusdem anni Havniam repetii. Quamvis vero hoc mihi injunctum munus, ex quo Professori adesse deberem non in publicis tantum ejus prælectionibus, sed et in privatis ejus, syndesmologicis imprimis, laboribus, multum mihi temporis consumsit, contigit tamen mihi præter prælectiones Professorum, quorum nomina venerabundus nuper attuli, simul per quinquennium fere, virorum illustrissimorum Bangii, Kratzensteinii, Risbrighii et Vahlîi audire prælectiones et Vahlîo imprimis duce, botanicas facere, quas dicunt, excursiones. Dein anno MDCCLXXX in Amphitheatro Anatomico-chirurgico, examini me subjeci. Et studio rerum naturalium indagandarum ductus, anno MDCCLXXXIV consilium cepi abeundi ut medico-chirurgus primarius navis bellicæ, Oldenburg dictæ, qua Budde thalassiarachus mare mediterraneam erat petiturus; sed cum ob impedimenta inopinata hocce iter perfici non posset, navis vero in mari baltico remaneret, in urbem redux jam eodem anno, illustrissimo Henningsio proponente et commendante, in numerum quatuor beneficiariorum, qui in Theatro anatomico-chirurgico pro annuo stipendio alebantur, receptus sum, adhuc tamen prosectoris munere fungi pergens. Anno deinde subsequenti in nosocomio regio Fridericiano subchirurgus constituebar et fundata eodem anno Academia chirurgica, huic academiæ adjungebar.

Anno MDCCLXXXVI cum examen medicum sustinueram, mihi primo, Pharmacopolæ Capeli ab omnibus AEsculapii filiis semper pia memoria colendi (quantum enim ei tota ars medica debet!) itinerario stipendio frui contigit. Mihi pro voluntate executorum testamenti iter [Lutetiam Parisiorum et Londinum erat faciendum. Quod iter mox aggressus jam ejusdem anni autumno Parisios veni. Hic coram cognovi viros celeberrimos Dessault, Vic-d'Azyr, d'Aubenton, Louis, Boudeloque, d'Arcet, le Sage, Morvau, Lavoisier, Fourcroy et Charles, multumque ab iis literis meis profuturum didi-

didici. Tempore æstivo in excursionibus botanicis virum cl. Jussieu comitatus sum, prælectionibusque a de Fontaine in horto botanico habitis interfui. Eodemque tempore familiaritate plurium viroꝝ doctorum et imprimis infelicis illius l'Heretier usus sum; atque a nostro de historia naturali et præsertim de Testaceologia meritissimo Hvas, regi a consiliis justitiæ, et institutione et pecuniis sublevatus sum.

Parisiis relictis vere anni MDCCLXXXVIII Londinum petivi. Heic prælectiones a viris clarissimis Cruikshank, Baile, Fordyce pluribusque habitas audivi, et nosocomia imprimis S. Thomæ, Londini, Guis, Barthelemi et Georgi frequentavi. Hic quoque mihi contigit plurium viroꝝ rei medicæ peritorum, familiaritatem mihi conciliare: ita v. cl. J. Sims M. D., qui et de arte obstetricia bene erat meritus, sæpe me in praxi ipsius obeunda secum duxit. Et eodem tempore notitiam fratrum Young (quorum major Thomas Young prænituit) mihi contraxi, quæ quidem conjunctio in rebus chirurgiæ practicis mihi fuit usui. Multum vero temporis transegi bibliothecam selectam Josephi Banks, tunc Baroneti, investigando, qui quidem vir illustrissimus singulari me amicitia et benevolentia amplexus est: ejus enim autoritate factum est, ut aditus mihi, quotiescunque animo placeret, ad hortum regium Kewensem pateret: ejusdemque autoritate occasio mihi oblata est cum viris celeberrimis atque artis medico-chirurgicæ nec non historiæ naturalis peritissimis (inter quos præ ceteris Joannem Hunter et Hume nomino) familiaritatem jungendi. Et Curtis, celeberrimus ille Angliæ botanicus, mihi fuit familiaris; quod quidem commodum amico Sims, semper pia memoria colendo, debeo.

Statum tamen, in universum, rei anatomicæ, medicæ et chirurgicæ in hisce magnis urbibus, mihi non omnibus numeris absolutum visum esse, nec me horum exterorum in his scientiis progressus et notitias ad coelum usque ita extollere potuisse, ut alii multi fecerunt, faciuntque adhuc, hujus rei causam in variis rebus quærendam esse autumno. Eram scilicet ipse eo tempore anatomicus non spernendus, utpote qui per sexennium ante iter hocce susceptum, prælectiones anatomicas domi habuissem: constitutus præterea ad nosocomium, quod inter optima numero, subchirurgus, eram, eodem tempore quo eidem nosocomio ut chirurgus primarius profuit Winslowius noster: nec denique peregrinus eram in ceteris rei medicæ partibus: tandemque præcipua hujus moderatioris laudis hæc fuit causa, quod exteris illas academias non cum opinionibus antecaptis adirem, sed cum consilio nostra instituta, quoad rem medicam, omnibus nominibus laudabilia, cum institutis harum urbium multis in partibus, adhuc mancis, rite et sincere comparandi. Nihilominus viros illos doctissimos, quos nominavi, tantum abest ut contempnam, ut potius in æternum amicitiam eorum in me benigne exhibitam, gratissimus sim recordaturus.

Havniam redux munus, quod gesseram ut adjunctus academiæ et chirurgus subsidiarius, iterum occupavi, et lector in chymicis insuper creatus sum. Anno MDCCXC munus mineralogiam docendi, ut participi societatis rerum naturalium studiosæ, mihi demandatum est, quo quidem munere per decennium ad finem usque seculi, quo scilicet tempore iterum dissoluta est hæc societas, fungi pergebam.

Anno MDCCXCIII gratia Regis Aug. chirurgus exercitus tormentarii legionarius creatus sum, vicibus tamen Academiæ adjuncti et lectoris chymici fungi pergens; et anno dein MDCCXCV postquam per biennium mihi, una cum ceteris professoribus partes candidatos medico-chirurgicos examinandi demendatæ fuerant, regio Fridericiano nosocomio ut primarius chirurgus præfectus sum, quo munere per integros sedecim annos functus; anno MDCCCXI, dignus sum putatus, qui in vicem succedens Winslowii, regii a consiliis status equitisque aurei, officio chirurgi aulici, volente Rege augustissimo, fungerer. Anno tandem MDCCCXIII demissionem petii, ut rure degens per residuum vitæ temporis totus me darem studio historiæ naturalis, quæ semper mihi fuit in deliciis. Sed rebus inopinatis coactus in urbem iterum reversus sum.

In prælectionibus, quas de variis rei medicæ partibus habui, quasque haud interruptas, nisi per spatium illud temporis, quo apud externos degebam, una serie ab anno MDCCXCIX ad meam usque demissionem acceptam, continuavi, Anatomiam imprimis cum Physiologia conjunctam; Materiam medicam conjunctam cum materia pharmaceutica atque doctrina de plantis medicinalibus tractavi: et ad hujus quidem postremæ doctrinæ studium adjuvandum, partim solus, partim una cum Vahlio nostro, partim deinde una cum nostro longe peritissimo nec non celeberrimo Hornemanno, excursiones botanicas institui. Per varios præterea cursus Bromatologiam et Toxicologiam docui: itidem per quinquennium privatim de praxi artis obstetriciæ, de operationibus chirurgicis, per quinquennium de chymia theoretica et practica, per decennium de mineralogia habui prælectiones: per duo tandem semestria, scilicet primum Vahlio et dein Hornemanno nostro in itineribus botanicis absente, botanicam publice tradidi.

Ex hisce igitur quæ dixi, patet, quænam fuerint mihi negotia; sed præter hæc quæ mihi munera mea imposuere, ex officio adhuc ut professor Academiæ membrum eram Collegii academici: prætereaque e placito Regis Aug. Collegii regii sanitatis, quod dicunt, regiæque commissionis quæ dicitur vaccinationis, nec non commissionis regiæ medicinalis, particeps constitutus sum, et in numerum directorum regii Nosocomii Fridericiani et instituti, cui cura puerperarum et infantum demandata est, nec non rei medicæ inter milites procurandæ, receptus sum.

Quod ad opera mea literaria attinet, dissertationes, quas in disputatorio chirurgico Havniensi defendi, hæ sunt:

- 1) de vulnere pectoris lethali.
- 2) de nonnullorum musculorum corporis humani aberratione a statu naturali.
- 3) de aquæ ductibus Cotunni.

Ut sodalis societatis rerum naturalium cultricis hujus urbis, in publicis convëntibus pertractationes, quæ sequuntur prælegi:

- 1) de genere *Bobartia* Lin. atque de insecto novo *Attelabus longimanus* dicto.
- 2) de genere *Paullinia* Lin. et etiam de *Zeolitho crystallifero*.
- 3) de *mineraliis* islandicis.
- 4) de *mineraliis* norvegicis.
- 5) de *mineraliis* grönlandicis rarissimis.
- 6) de genere cochlearum *Auricularia* dicto, et de nonnullis testaceis ex Brasilia translatis (quæ tractatio typis non est impressa).

In societate medica havniensi hasce prælegi tractationes:

- 1) de embryone frustulatim per anum emisso post graviditatem sexennii.
- 2) de testiculorum descensu atque de hernia incarcerata interna.
- 3) de instrumentis chirurgicis partim novis eorumque applicatione.
- 4) de additamento ad historiam vermium corporis humani.

Ut sodalis societatis regiæ scientiarum has pertractionis prælegi:

- 1) de anatomia cerebri simiæ, cum cerebri hominis aliorumque animalium comparatione.
- 2) de systematis testacearum, nec non de descriptione concharum nonnullarum.

Libri, quos prelo evulgavi, hi sunt:

- 1) Observationes medico-chirurgicæ. (germanice.)
- 2) Enumeratio plantarum Siællandiæ septentrionalis atque orientalis.
- 3) Tentamen enumerationis mineralium provinciarum regni Daniæ atque Norvagiæ (germanice).
- 4) Rudimentum Anatomix, prima pars de osteologia (danice).
- 5) Una cum celeb. atque doctissim. Herholdt, M. D. Pr. U. H. catalogum edidi plantarum medicinalium indigenarum et earum, quæ hic coli possunt. (danice.)
- 6) Sub prelo sudat: *Essai d'un nouveau système des habitations des vers testacés. cum XXII cæneis tabulis.*

Glorior me membrum nominando societatum quæ sequuntur:

Adscriptus sum, ut particeps honorarius, societati physicæ *Megaloburgicæ*, et medicæ *Philadelphicæ*.

Assessor exterraneus adscriptus sum societati mineralogicæ *Jenensi*.

Particeps ordinarius sum societ: regię scientiarum, regię medicę et veterinarię *Havniensis*: soc. naturalis historię *Moscoviensis*: medicę *Holmiensis* et phytographicę *Lundensis*.

Sodalis exterraneus adscriptus sum soc. Linneanę et medicę *Londinensi*, phytographicę *Goettingensi*, et *Wernerianę* historico-naturali *Edinburgensi*.

Membrum denique correspondens regię academię *Monachiensis*; galvanicę *Parisiensis*, et physico-medicę *Erlangensis* soc.

Anno MDCCCX die V Calend. Febr. Regi Augustissimo placuit me aurea cruce ordinis danebrogeci donare.

Maximus vero honos mihi contigit, cum dignum me censebat *Facultas medica havniensis*, cui palma Doctoris Medicinę porrigatur.

Floreat per secula seculorum alma havniensis *Universitas* et *facultas medica*!

XI.

Natus sum ego **MAGNUS ANDREAS THULSTRUP** *Havnię* d. 13 Aprilis anno 1769, patre *Georgio Thulstrup*, Regi a *Consiliis justitię*, curię metropolitanę *senatore*, mensęqve publicę *curatore*, matre *Cicilia Catharina Walbohm*, quibus parentibus, pia memoria semper recolendis, diu uti omnium pater *Deus* benevole mihi concessit. Pater enim anno 1794 diem obiit supremum, mater autem a. 1815 mortua est. Primę ætatis quadriennio tam infirma usus sum valetudine, ut optimę matris sollicitudini anxie curęqve indefessę soli vitam servatam debere videar. Pater dilectissimus, de præstantia literarum humaniorum proprio usu bene persvasus, me iisdem mature imbuendum curavit. A prima vero adolescentia medicorum studia ita mihi adrisere, ut ludi mei pueriles fere omnes in ægris curandis, medicamentis præparandis, formulisqve conscribendis versarentur. Animal mortuum nunquam fere videbam, quin illud dissecando perscrutarer. Quibus in lusibus cum pater optimus pueri dexteritatem quendam atqve indolem haud segnem deprehendere sibi visus sit; celeberrimo *Winslowio*, in patriam tunc temporis nuper reverso, me commendavit. Hic vir præstantissimus me puerum, vix undecim annos natum, prælectionibus suis anatomicis adesse, et ægrotos sua sub cura in *Nosocomio Fridericiano* decumbentes visitare, indulgenter permisit. Qua indulgentia cum per biennium sedulo usus essem, pater veritus ne hisce distractus occupationibus, quas nimis avide amplecterer, humaniorum literarum studia negligere, anno 1782 me scholę cathedrali *Roeskildensi* tradidit. Quadriennio ibi paracto, rude donatus a doctissimo et celeberrimo hujus scholę *Rectore*, Regi a *consiliis justitię J. C.*

Saxtorph, cujus memoriam grato animo semper servabo, a. 1786 ab examine, quod artium dicunt, Professorum amplissimorum laude ornatus discessi. Ad studia artis salutaris, per hocce quadrien-
 nium intermissa, animum denuo adplicans philosophicum cum lau-
 de sustinui. Studio artis Machaoniæ nunc totum me dedi. In hac
 arte præceptores habui longe celeberrimos Friis Rotböl, Callisen,
 Bang, M. Saxsorph, Hennings, Kölpin, Tode, Winslow, Aas-
 heim, Schumacher, Manthey, Horrebow, Tychsen. In chirur-
 gia manuali exercenda, duce Clb. Winslowio, haud leviter versato
 a. 1788 munus candidati chirurgiæ in Nosocomio Fredericiano mihi
 oblatum est. Anno 1791 examini medico-chirurgico me submisi, et
 cunctis censorum suffragiis optimum profectuum characterem re-
 portavi. Anno 1792 munus chirurgi Academiae chirurgorum Regiæ
 subsidiarii mihi demandatum est. Anno proximo artem obstetri-
 ciam practicam in Nosocomio puerperarum per dimidium annum
 exercere mihi contigit, moderatore Illustrissimo Celeberrimo M.
 Saxtorph, fautore æternum colendo, cujus præceptis et colloquiis,
 si quid in hac arte profecerim, me omnia debere gratus fateor. Quæ
 enim me inter et filium, J. S. Saxtorph, Doc. et Prof. Medic., pa-
 terni et animi et ingenii hæredem, ex studiorum conjunctione ena-
 scebatur amicitia, in Præstantissimi patris familiaritatem me ad-
 duxerat. Anno 1793 chirurgus Nosocomii Fredericiani secundus
 designatus sum. Undecim illis annis, quibus praxim clinicam ex-
 ercere mihi licuit, experientiæ acqvirendæ et augendæ optimam ha-
 bui occasionem sub auspiciis experientissimorum et celeberrimorum
 virorum, Winslovii et Schumacheri, quorum ille tironem studiosis-
 sime et humanissime docuit, hic amicum me potius quam discipu-
 lum habuit. Qvinque illis annis, quibus munere chirurgi subsi-
 diarii quoque functus sum, plures partes anatomix et chirurgiæ, nec
 non artem obstetriciam publicis exposui prælectionibus, privatim-
 que commilitonibus opera mea adesse conatus sum. Viam acade-
 micam persequi tunc quidem valde optabam, quam ob causam mu-
 nera, quæ ambienti haud dubie contigissent, non ambiebam. Exa-
 mini medico in universitate Havniensi me subjicere, et ad summos
 in medicina honores eniti sæpe quidem cogitabam, fata autem obsta-
 bant, quo minus viam optatam ingredi possem. Ita vero compa-
 ratæ sunt res humanæ, ut consilii mutati nunquam me poeniteret.
 Anno enim 1797 chirurgum legionarium levis armaturæ cohortis,
 quæ Christianiæ in præsidio erat, me Rex Augustissimus creavit,
 ibique lætissima mihi contigit sors, cum anno 1799 uxorem ducerem
 conjugem amantissimam et carissimam Eleonoram Clauson-Kaas.
 Anno 1801, cum res medicas populorum belligerantium accurate
 cognoscere cupide optarem, Rege permittente, Germaniam et Galliam
 petii, ex quo itinere redux rei medicæ exercitus Norvegici præfectus
 sum. Anno 1809 me inter sodales Collegii Regii sanitatis in Norvegia
 primum esse Rex Augustissimus jussit. Anno 1812 Academia Chi-

rurgorum Regia Danica me sodalem pronuntiavit. Anno 1814 Professor chirurgiæ et artis obstetriciæ in Regia Universate Fredericiana creatus sum. Eodem anno Societas medicorum Holmiensis sodalibus suis me adscripsit. Anno 1815 Rex Clementissimus me inter eqvites aur. Ordinis de Wasa allegi voluit. Proximo anno, Rege Augustissimo jubente, inter sodales honorarios Collegii Regii sanitatis Suecici cooptatus sum. Si scriptiones quasdam minutulas, quæ in bibliotheca physico-oconomica et medico-chirurgica insertæ leguntur, excipias, nulla scripta in lucem edidi. Hocce denique labente anno contigit mihi nec opinanti honor, quo nihil nec optatius nec jucundius unquam contingere poterat, cum inter solennia in memoriam rei sacræ purgatæ atque emendatæ, Rege Danorum Augustissimo annuente, Ordo Medicorum in Universitate Havniensi me dignum judicaret, cui summos in Medicina honores ultro offerret. Cujus de me honorifici judicii ne summos viros unquam poeniteat, gratus officiosusque sedulo semper adlaborabo.

b) *Ordinarius Medicinæ Doctor creabitur*

XII.

Natus sum ego, HENRICUS MATTHIAS WILHELMUS KLINGBERG Hafniæ die 17^{mo} Augusti Anno 1774. Parentes amantissimi fuerunt *Laurentius Klingberg*, a Consiliis status et bellicæ navalis Cancellariæ Secretarius, atque *Catharina Flisabetha Schumacher*, utrique præmatura morte erepti. Ab Anno 1781 ductu optimi *Nicolai Waltheri*, baccalaurei Theologiæ, tunc temporis sacrorum in Nosocomio Fridericiano antistitis litterarum rudimenta didici, donec Anno 1789 ad universitatem dimissus, postquam examen artium cum laude sustinuissem, numero civium academicorum adscriptus fui. Sequenti anno Examini philosophico et philologico me subjeci, ex quibus eandem laudem reportavi. Postea arti medicæ operam dare coepi. Adsiduus nunc per plures annos singulari cum utilitate adfui lectionibus, quas in varias artis nostræ disciplinas habuerunt viri illustrissimi, *Rottböl*, *Callisen*, *Bang*, *M. Saxtorph*, *Winslów*, *Schumacher*, *Horrebow*, *Herholdt*, *Skielderup* et *Manthey*. Ut animus juvenilis miseriis humanis contemplandis advesceret, et ipse, quid ars ad eas levandas valeret, experirer, duce dexterrimo *Winslowio*, chirurgo primario Nosocomii Fridericiani, tractationi ægrorum chirurgicæ sedulo interfui, et ipse manus admovi. Anno 1794 munus chirurgi subsidiarii Legionis nauticæ secundæ nactus sum. Hoc officio sub auspiciis celeberrimi *Herholdt*, cujus viri erga me beneficia semper gratissima mente servabo, per quinquennium functus sum, eidemque experientissimo medico cum per illud temporis spatium a manu in ejus praxi civili essem, uberrimum ex præceptoris tam eruditi et humani quotidiano

consilio et colloquio fructum percipere mihi licuit. Anno 1797 vi-
ces amicissimi *Mynsteri*, tunc temporis candidati Medicinæ in No-
socomio Fridericiano, dum peregre esset, consentiente inclytissi-
mo *Bang*, Viro a me semper summe colendo, suscepi et per 2 annos
peregi. Anno 1798 Examen chirurgico-medicum in Academia Chir-
urgorum Regia cum laude sustinui, honorificis omnium censorum
suffragiis probatus. Anno 1799 artem obstetriciam mihi per 4 men-
ses exercere contigit, ducibus viris in hac arte egregiis, *Saxtor-*
phiis, patre ac filio. Eodem anno Chirurgus primarius Legionis
nauticæ tormentariæ regio diplomate nominatus sum. Hoc officio
per 2 circiter lustra functus fui, donec Anno 1808 cura sanitatis
primæ legionis nauticæ clementissime mihi fuit demandata, quod
munus ad Annum 1814 obii. Eodem anno cum numerus legionum
restrictus esset, gratia Regis ab officio ad interim fui liberatus ea
sub conditione ut idem munus, quandocunqve vacaret, iterum ca-
pesserem. Hæc sparta in re navali simul occasionem præbuit, ut
ex mandato Regis primum Anno 1801, deinde Anno 1807, in noso-
comio nautico experientissimo *Falkenthal*, Dr. Medicinæ et chir-
urgo rei navalis primario, ad saucios patriæ defensores curandos
auxilio essem. Dein cura eorum, qui ab utroque hoc prælio super-
stites ulteriori auxilio medico egerent, publica auctoritate mihi tra-
dita fuit. Ex officio Chirurghi legionis nauticæ mihi 1806 mandatum
fuit, ut una cum collegis conjunctissimis *Herholdt* et *Hahn* de no-
socomio in usum legionum nauticarum exstruendo consilia confer-
rem. Neque silentio prætereundum est, me ab Anno 1799 ad 1809
inter pauperes ex jussu collegii his prospicientis, artem medicam
exercuisse, et aliquamdiu partes medici in nosocomio *Wartow*
dicto administrasse. Inter hæc simul, a civibus non paucis voca-
tus, praxin medicam in metropoli feliciter exercebam, quam etiam-
num exerceo. Anno 1808 publicum Professoris anatomix in acade-
mia artium elegantiorum regia munus mihi traditum est, id quod
tanto magis gratum habui, cum inde a puerili ætate his artibus, pic-
turæ imprimis, valde deditus fuerim, et magnam exinde voluptatem
ceperim.

Non parvum incitamentum ad scientiam medicam strenue co-
lendam fuit, quod Anno 1803 Regia Societas Medica Havniensis me
dignum habuit, quem membrum adscisceret. Idem honor dein
Anno 1811 a Societate Scandinavica, post Anno 1817 a Societate me-
dica Philadelphiensi mihi contigit. Anno 1811 Societas litteraria
Classeniana me unum e curatoribus rerum suarum esse voluit. Anno
1814 me sodalem cooptarunt viri illustres, qui Societati ad aqua mer-
sos in vitam revocandos institutæ præsent.

Commentationes, quas Societati Regiæ medicæ obtuli, sunt:
1) Relatio de operatione a clarissimo *Cooper* descripta, perforatio-
ne nempe membranæ tympani. 2) Ideæ de principio inflammatio-
nis. 3) Observationes de utilitate hydrargyrii muriatici dulcis in

angina membranacea. 4) de excrescentia polyposa, prolapsum uteri mentiente. 5) de effectu calcis sulphuratæ in phtisi, et denique 6) de catarrho insidioso. Harum prima typis divulgata est in collectione, cui titulus: "Physikalsk, oekonomisk og medico-chirurgisk Bibliothek"; tertia et quinta annalibus: "Bibliothek for Læger", inserta sunt.

In actis Societatis Scandinavicæ exstant mea:

1) Hvorvidt er man i Stand til af Anatomien og Physiologien at bestemme Regler for Maaden, hvorpaa Lidenskaber udtrykke sig i Menneskets Udvortes?

2) Om Virkningen af Dödsstraffe paa Tilskuernes Stemning. Præterea complures aliorum doctorum commentationes, quæ mihi singulari quadam attentione dignæ videbantur, e lingua latina, anglica et gallica danice versas variis ephemeridibus patriis inserendas curavi: quas inter heic nominare licebit:

1) Tractatum celeberrimi *Fourcoy* de lenta corporum humanorum in substantiam spermaceto similem conversione.

2) libellum celeberrimi *Nauche* de strictura urethræ.

3) Inclytissimi nostri *Callisenii* commentationem de calore animali, viribus vitalibus et morbis inflammatoriis.

4) Dissertationem clarissimi *Husson* de variolis vaccinis, quo opusculo primum, ni fallor, apud nos gravissima hæc res aliquanto uberius et adcuratius exposita est.

Idem subinde passim in Diariis litterariis nova scripta medici argumenti rogatus recensui.

Denique honorifice invitatus, qui inter publica sacri Jubilæi gaudia summos in arte medica honores disputando acquirerem, elaboravi inaugurale de *uteri exstirpatione* specimen, quod nunc eruditorum iudicio submitto.

c) *Licentiatus Medicinæ* proclamabitur

XIII.

Natus sum **CONRADUS MATHIAS LUNDING** Hafniæ, anno MDCCXCI, die 29 Martii. Patrem habui *Mathiam Lunding*, primum assessorem Regii collegii commerciorum (*Oeconomie-og Commerce-Collegium* vocant) et senatorem vicarium hujus urbis Regiæ, postea autem Regi a consiliis justitiæ et munere Regio, quod *Banquecommisair* dicitur, fungentem. Matre gavisus sum *Margaretha Matthiesen*, filia *Conradi Matthiesen*, Regi quondam a consiliis justitiæ & mercatoris honestissimi Altonensis. Utrumque autem parentem præmatura morte abreptum jam ultra decennium lugeo. Privata primum institutione usus sum virorum præstantissimorum, gratoque mihi animo colendorum, *A. F. Heggelund*, nunc sacrorum apud *Munkebjergenses* in *Sialandia* ministri, et *G. F. Weinschenk*,

schenk, tum adjuncti scholæ Hafniensis, jam vero pastoris Krummerupensis itidem in Sialandia. Ab anno MDCCCI scholam frequentavi, quæ a *virtute civili* nomen traxit, cui tunc præerat vir amplissimus mihi que omni veneratione nominandus, *J. B. Müller*, postea et adhuc professor, nec non scholæ Helsingorensis rector, cujus in mea studia collata beneficia grato animo semper recordabor. Postquam autem summus ille vir Hafniam relinquens istum ludum præcipuo ejus tunc temporis adminiculo et ornamento privaverat, novercæ, omni, qua par est, pietate dilectæ, *Fridericæ Christinæ Petersen*, filiæ *H. H. Petersen*, oeconomi quondam universitatis Kiloniensis, vere materna cura adolescentulum jam utrinque orbum anno MDCCCVII scholæ cathedrali Hafniensi tradidit.

Eodem autem anno Kiloniam in Holsatia profectus, fatoque et bello reditum prohibente, viro amplissimo professore *F. H. Guldberg*, in lingua vernacula rite scribenda, avunculo autem dilectissimo *J. A. Nasser*, universitatis Kiloniensis professore, nec non celeberrimo *Eggers*, tunc scholæ Kiloniensis conrectore, nunc vero rectore scholæ Husumensis, in lingua latina et græca ducibus benevole se offerentibus fretus, per dimidium annum, quantum tempora sinebant, studia continuavi. Hafniam reversus per annum adhuc et dimidium scholam cathedralem frequentavi, unde anno MDCCCIX a doctissimo et clarissimo viro *N. L. Nissen*, professore et rectore scholæ, præceptore summe mihi venerando, ad universitatem aliam Hafniensem dimissus sum. Examine artium prospere sustento, insequenti anno examen philosophicum cum laude absolvi. Ab hoc inde tempore totum me studio artis salutaris dedi, et frequens audivi prælectiones, quas suis quisque in scientiis habuerunt illustrissimi et experientissimi viri, præceptores mihi pio et grato animo semper venerandi, *Bang*, *Saxtorph*, *Mynster*, *Herholdt*, *Skjelderup*, *Ørsted*, *J. W. Hornemann*, *Giesemann*, *Colsmann*, *Fenger* et *Withusen*, quos omnes honoris causa nomino. Ne autem his studiis experientia et eucheiresis plane deficeret, non modo dissectioni cadaverum, ad quam Regia Academia Chirurgorum tirones admittit, et operationibus chirurgicis in cadavere privatim instituentis, præeunte viro æstumatissimo *R. Thal*, professore, lectore chemiæ et proto-chirurgo nosocomii urbis communis (quem etiam in chemia tam strenuum præceptorem quam amicissimum exhortatorem me profiteri posse gaudeo) operam navavi, verum etiam in nosocomio Regio Fridericiano primum duce celeberrimo viro *Colsmann*, professore et protochirurgo, per dimidium circiter annum in deligatione ægrotorum ex arte instituenda me exercui, & postea viri illustrissimi et experientissimi, *O. H. Mynster*, professoris et protomedici, ægrotos illius curæ traditos visitantis per biennium fere assiduus fui comes. Hoc modo instructus, anno MDCCCXV, tempore verno, examini, primum in Regia Academia Chirurgorum, quod *chirurgico-medicum* et *anatomice-practicum* dicitur, et dein

in Universitate alma Havniensi, quod *medico-chirurgicum rigorosum* studiosis Medicinæ subeundum est, meos qualescunque in arte Hippocratica profectus subjeci, et ex utroque examine primam notam reportavi. Brevi post in nosocomium puerperarum admissus, adnuente et ducente clarissimo et experientissimo *Saxtorph*, chirurgiæ et artis obstetriciæ professore, encheiresi obstetriciæ a medico exercendæ per quinque menses totum me applicavi. Eodem fere tempore Directores gravissimi Nosocomii Regii Fridericiani munus primum candidati Medicinæ, et deinceps, anni spatio nondum elapso, medici vicarii in hoc nosocomio benigne mihi concesserunt. Ut autem tali beneficio, quo adhuc fruor, haud plane indignus uterer, tum praxi genuinæ vere Hippocraticæ ex quotidiana tot ægrotorum visitatione, præsertim vero præeunte viro experientissimo et sagacissimo *O. H. Mynster*, addiscendæ strenue operam dedi, tum etiam horas, quas illud munus et illa studia practica mihi reliquerunt, dicavi dissertationi *de chæmica exploratione veneficii per arsenicum facti* conscribendæ, quam pro Licentia summos in medicina honores rite obtinendi nuper publice defendi.

D. PHILOSOPHORUM.

XIV.

Natus sum ego **ANDREAS FAABORG MÛLERTZ** Calundæ Siælandiæ die 11 Septembr. a. 1788. Patrem mihi dedit omnipotens, pia et æterna memoria colendum, quem quatuor abhinc annis defunctum lugeo, Fredericum Mülertz, in urbe Calunda mercatorem, virum priscae probitatis et integritatis; matrem veneror dilectissimam, divino beneficio adhuc superstitem, Karen Faaborg. Pater meus sollicitus id summo studio egit, ut liberos suos, quorum novem ei erant, ita educaret et ita instituendos curaret, ut pectus animumque recte formatum haberent, et, nulla adhibita parsimonia, ea pueri discerent, quæ iis postea viris usui esse possent. Igitur jam puer per aliquot annos præceptorem et educatorem habui virum honestissimum Stjernholm, Diaconum parochiæ Aarbye prope Calundam. Deinde a. 1800, literarum studiis jam dicatus, transmissus sum ad pædagogium celeberrimum Schouboeanum, Havniæ tunc temporis insigni laude florens, ubi cum doctissimi Antistitis, v. cl. Schouboe, jam Equit. ord. Danebr., cujus de hocce instituto merita notissima sunt, tum virorum doctissimorum Engelstoft, Munthe, C. U. Lund, T. C. Müller, Lindenfels aliorumque, uti et v. d. Junghans et Schow, vita jam defunctorum, institutione fructus, mense Octobr. anni 1804 ad Universitatem regiam havniensem dimissus sum; ubi progressum juvenis adeo comprobarunt docti censes, ut laudabilis et publico encomio ornatus exinde discessem. Examen philosophicum sustinui a. 1805; philologicum vero,
post

post iter per æstatem in Norvegia factum, a. 1806; utrumque cum laude. Dein humanioribus in universum, *historicis* vero inprimis nec non *statisticis*, ut dicuntur, scientiis totus me dedi; ad quas colendas me exhortatus est cum proprius harum scientiarum amor, quarum studio a puero jam imbutus fui, tum eximius fautor, dilectissimus olim præceptor, vir illustrissimus *L. Engelstoft*, Collegio regio, literarias in patria res moderanti, jam adscriptus, qui animo vere paterno me insigni amplexus favore, non institutione solum, verum etiam familiaritate sua et colloquiis utilissimis inchoantis juvenis studia fovere dignatus est, cui quicquid in hisce scientiis profecerim omnino debeo, cuique ut et carissimis duobus aliis doctoribus academicis, *B. Thorlacio* nempe et *Th. Bugge*, jam defuncto, (qui mihi privatus, ut dicitur, præceptor erat), debitas gratias persolvere nunquam satis valeo, memoria vero institutionis, caritatis, et benevolentiae eorum sempiterna mihi erit. Initio anni 1808, cum rebus scholasticis me dicare statuissem, post elaborata et comprobata specimina mandata, Seminarii pædagogici, quod sub auspiciis viri perillustris *Moldenhawer*, cui quid debeat institutio scholastica in patria reformata omnibus est notum, tum floruit, alumnus evasi; eodemque tempore practicum docendi usum mihi acquirere studui, in pædagogio Schouboeano præceptor factus. Præterea et quorundam adolescentium privatim instituendorum cura mihi tradita fuit, quorum unum a. 1808 ad Universitatem, alium juvenem dilectissimum *Fredericum Urne*, jam *Cand. jur.*, a. 1809 ad scholam illustrem *Herlovianam* dimisi. Initio anni 1810 *Adjuncti* scholæ *Neoburgensis* munus ab augustissimo Rege mihi traditum est; unde sub finem a. 1811 hoc munus, quo nunc *Adjunctus* scholæ cathedralis *Othiniensis* fungor, mandavit mihi Regis clementia. Præter hoc in aliis quibusdam negotiis publicis quoque versor; nam et bibliothecarii partes oboeo in bibliotheca publica dioeceseos *fioniensis*, et quatuor circ. abhinc annis membri commissionis pro industria promovenda partes agere mihi mandavit societas, quæ dicitur *patriotica fioniensis*. Societas literaria *fioniensis*, quæ *Præside* celsissimo *Christiano Frederico*, Principe *Daniæ*, ab anno inde 1815 floret, primo conventu inter sodales suos me adscripsit, cui duas commentatiunculas prelo non excusas, alteram de figuris quodammodo hieroglyphicis in monumentis borealibus obviis, alteram de itineribus tempore antiquo mercaturæ causa per deserta *Africæ* factis, obtuli. Anno superiori optimum donum mihi dedit beneficum numen, uxorem nempe pientissimam mihi que carissimam *Margaretham Dorotheam Heiberg*, filiam viri æstumatissimi atque doctissimi *Ludovici Heiberg*, *Equ. ord. Danebr.*, Professoris et Rectoris scholæ cathedralis *Othiniensis*, pio animo mihi semper colendi. Scripta, præter minusculas aliquas opellas et versus aliquos, non nisi hæc opuscula edidi:

Om Venskab, af M. Tull. Cicero, oversat med Anm. Kh. 1807. 8.

Noget om Altertavlen i Frue Kirke i Odense. Odense 1813. 8.

De causis propagatæ celeriter in Dania Reformationis, dissertatio, (pro gradu Doctoris Philosophiæ et Magisterii artium honoribus scripta) Havniæ 1817. 8.

De commodis quibusdam, quæ per Reformationem ad patriam nostram redundarunt. (Prolusio ad festum Reformationis in schola Cathedrali Othiniensi h. a. solemniter celebrandum. Othiniæ 1817. 8.

XV.

HALLGRIMUS JOHANNÆUS SCHEVING, natus est Helgastadis, in toparchia Thingeyensi, Dioeceseos Holensis in Islandia, patre Johanne Laurentio Scheving, verbi divini tum Helgastadis, nunc vero Grenjaderstadis ministro, et matre Smölviga Halgrimsen, femina quæ plures Episcopos Holenses inter suos majores numerat. Parentes cum in puero haud parvum literarum amorem mature animadverterent, eum Scholæ Holensi, quæ tunc nondum abolita erat, artibus liberalibus erudiendum tradiderunt. Hic annos 1795-1800 exegit atque sub strenuo scholæ Rectore Hialmarsen, cujus institutionis semper se pie memorem fore profitetur, solida in literis, præcipue Græcis Latinisque, posuit fundamenta. A schola rite dimissus domum paternam rediit, sua ibi studia tantisper continuans, donec, quod semper in votis fuerat, Universitatem Havniensem adeundi copiam opportunitatemque obtineret. Ad metropolin denique delatus d. XXIVto Aprilis a. 1804 Examini artium se subjecit, atque a Censoribus Laudabilis repertus est. Sequenti anno Examen philologico-philosophicum feliciter absolvit; et cum istis annis floreret Seminarium pædagogicum, formandis doctoribus scholasticis destinatum, huic gymnasio tanto lætius se tradidit, quo magis studiis philologicis, quibus semper delectatus fuisset, totus nunc indulgere poterat. Suffultus partim stipendiis Communitatis Domusque Regiæ, quibus Havniam studiorum causa venientibus Islandis liberaliter providit Regum Danicorum clementia, partim salario, quod istud seminarium suis numerabat alumnis, integrum triennium dedit philologiæ græcæ latinæque omni suo ambitu colendæ. Quid quantumque et Directori Seminarii Viro Perillustri Moldenhawero, et reliquis istius instituti doctoribus, Viris præclaris Kierulf, Thorlacio, Sverdrup, Sander, Bruun debeat, verecundia modestiaque vetant exponere; sed in illo se vere paternam in studiis suis adjuvandis curam et benevolentiam comperisse, ab his multa ad discendum præsidia sibi large suppeditata fuisse, gratus agnoscit. Ut extaret publicum aliquod suæ diligentiae documentum, annis 1807 et 1808 thema, in philologia ab Universitate Havniensi propositum: "*Tetralogiæ Græcæ indolem omnemque rationem, ex ipsis, quæ habentur, Græcis dramatibus, dramatumque fragmentis, qua fieri possit,*

sit, accurate exponere", diligentius tractare tentavit. Nec sine successu. Nam et numum aureum et honorificam admodum Censorum sententiam reportavit. Finito triennio præscriptum alumni seminarii erectioribus stadium feliciter emensus, et ab hoc instituto legitime dimissus, ad Islandiam rediit, operaque sua scholæ, quæ nunc Bessestadis est, utilis esse pro virili studuit. Scholæ adjunctum jam a pluribus retro annis Rex Augustissimus illum creavit. Quamvis in hocce terræ angulo a thesauris literariis remotus, argumenta majorem apparatus poscentia, ideoque et jucundiora forte et magis frugifera, aggredi non ausus fuerit, haud paucos tamen in scriptionis servat propriæ meditationis diligentisque lectionis fructus; quorum qualecunque specimen exhibere sperat libellum, quem inter tertii Reformatorum sacrorum jubilæi solennia Ordinis Philosophorum Universitatis Havniensis judicio modeste submitit. Titulus est: "*Observationes criticæ ad quædam Bruti Ciceronis loca*". Quod opusculum, ab Ordine Philosophorum Univ. Havn. comprobatum, ut virorum criseos amantium ferat suffragia, vehementer optat. Publicæ sermocinationis veniam ipsi fecit Regis clementia propter loci, in quo degit, longinquitatem.

XVI.

Ego, HENRICUS NICOLAUS CLAUSEN natus sum d. XXII Apr. MDCCXCIII in Lalandiæ insulæ oppido Mariboe. Patrem habui *Henricum Georgium Clausen*, tum ad ædem metropolitanam Lalandiæ comministrum, nunc autem dioecesi Selandiæ præpositum adque ædem divæ Virginis postorem primarium, professorem honorarium ordinisque Dannebrogici equitem; matrem *Sophiam Magdalenen Schiern*, nunc, fatis pie defunctam, beatis in coelo sedibus potitam; quos quidem parentes optimos ea pietate amplector, ut nil mihi gratius fuerit unquam, quam iis probari, nil dulcius mihi unquam futurum sit, quam eorum in me beneficia pia mente recollere. Patrem ipsum, filiolo litterisque pariter delectatum, probeque guarum, quantum ad illas ingenio puerili commendandas principia institutionis faciant, primum habui studiorum auspiciem ducemque; unde fieri haud potuit, quin litteræ sensim sensimque me non minus quam pater suaviter devincirent; scilicet patrem quomodo amare potui, neque, si quid in deliciis illi, gratum habere! litteris autem quomodo non totum me darem, quibus, egregie adolescentiam ali, paterna doceret auctoritas, moneret humanitas! Undecimo dein ætatis anno Scholæ Metropolitanæ Hauniensi commissus sum, in qua mihi contigere magistri, doctrina ea et mansuetudine instructi, ut parum desiderari curam paternam sinerent. Ecce enim! virum doctissimum adire licuit, adhucdum scholam nostram forti manu regentem, *D. Nicolaum Lang Nissen*, de me ut de aliis multis meritissimum, — virum, quem invitis nobis præmatura mors eripuit, *Hilarium Munthe*, postea scholæ Neoburgensis rectorem; quid! quod viri etiam, quorum doctis sermonibus nunc avidas

aures juventus academica admovet, *Krogh Meyer, Sverdrup, Keyser, Hersleb* ingenia puerilia disciplinâ sollerti fingere haud gravati sunt; qui quidem omnes benevolentia me singulari prosecuti sunt, quam, et tum experiri mihi gratissimum fuit, et nunc recordari dulcissimum est. Tantis viris per lustrum magistris delectatus, anno MDCCCIX, venia ætatis, quæ dicitur, impetrata, dignus judicatus sum, qui in ordinem civium academicorum transirem; quare, relictis scholæ subselliis, examen artium subii eoque cum successu sustinui, ut egregia mihi laus tribueretur; anno autem sequente examen philologicum et philosophicum ita absolvere contigit, ut inter commilitones, publico encomio ornatos, primum tenerem locum. Jam vero eo perventum mihi erat, ut certum litterarum genus præcipue colendum, certum in civitate ordinem capessendum eligere oporteret; neque tamen longa mihi hac in re meditatione opus erat. Scilicet ad res coelestes animo intuendas pronum me proclivemque finxerat ipsa natura; divinæ autem religioni nostræ, quidquid domus paternæ scholæque inter parietes oculis auribusque perceperam, intimo me amore addictum fecerat; illud denique patris mihi præluxit exemplum, quod nullum in terris munus dulcius esse doceret, quam Deo adducere homines. Quæ quum ita essent, sacræ theologiæ disciplinis ita mox tempus studiumque dicavi, ut nil fere in votis mihi esset, nisi legendo meditandoque illis me pro viribus immergere. Nitenti vero duces benigne se præbuere viri, quibus, si quid olim ex studiis meis boni utilisque redundaverit, acceptum ferendum esse fateor, quorum de litteris sacris ac profanis earumque alumnis insignia merita tot discipulorum linguis celebrantur perque annos celebrabuntur, viri summe venerabiles *Claudius Frees Hornemann, Petrus Erasmus Müller, Birgerus Thorlacius, Janus Möllerus*; quorum in docendo peritia, in suadendo monendoque humanitas quam præclare studiis meis ad fuerit profueritque, grato animo sentio atque profiteor. Sacris litteris posteaquam triennium fere integrum dedi, profectus meos qualescunque censoribus explorandos verecunde submisi; quibus adeo probati sunt, ut ex examine publico theologico æstate anni MDCCCXIII characterem: Laudabilis & quidem inprimis egregie, reportarem. Tantam vero laudem hunc in finem mihi tributam esse putavi, ut ad majora tentanda spiritus animusque affunderentur, neque illa me ipse ullo modo dignum judicavi, nisi spei de me conceptæ satis pro viribus facere conarer. Quod moliens, ad magis ardua me accinxi; hanc nimirum doctissimus theologorum ordo anno sequente civibus academicis solvendam proposuerat quæstionem: "Recenseantur ex fontibus argumenta, quibus usi sunt apologetæ veteres ad veritatem religionis christianæ contra Judæos et Ethnicos defendendam; adjecto de horum argumentorum vi et valore judicio"; in qua ingenii vires mihi periclitari placuit. Neque mercede opera caruit, quoniam ita opusculum exaratum censoribus se probavit, ut mihi cum

laude

laude non mediocri præmium aureum decerneretur; unde ita mihi crevere spiritus, ut tantillam disquisitionis partem, diligentius prolixiusque elucubratam, publici juris facere auderem; quam, magistro summe venerabili J. Möllero traditam, bibliothecæ, quæ dicitur, theologicæ vir humanitate exuberans inserere haud detrectavit. Deinde, quum synodos Cleri, in quibus sacri ministri, si quid docte conscripserint, secum communicant, junioribus etiam theologis patere voluerint ecclesiæ patres, belle fieri mihi visum est, si hac in re commilitonibus viam aperirem, in patribus illis humanitatem eruditionem æquare, tute confidens; commentationem itaque iis obtuli, studiis meis patristicis affinem, neque a ratione temporum nostrorum, me iudice, alienam; quæ eos, quorum applausum unice optabilem duxi, ita consentientes habuit, ut haud indigna censoribus videretur, quæ in collectionibus synodi doctis locum obtineret. Neque tamen subsecivis laboribus illis annos expleri passus sum, hoc agens, ut otium lætissimum, quod benigne Deus optimus maximus largitus est, frugiferum quammaxime mihi fieret. In via autem, quæ aptissima mihi videretur, eligenda non diu dubius hæsitavi. Ex quo enim annales ecclesiæ nostræ attento oculo perlustravi, nostræque ætatis indolem geniumque attendi, lætus equidem vidi, in eo hodie ingenia versari, ut, aridis verborum lusibus frigidaque impietate defatigata, idearum sensuumque piorum vim refocillarent, et Deum sedulo Christumque peterent; id quod ita prospere, numine favente, fieri iudicavi, ut nil exoptatius mihi, quam si quando eodem vires meas qualescunque conferre contingeret. Verum enimvero haud paucos idem theologos conspicerem mihi visus sum, qui, neque eruditione accurata neque subacto iudicio muniti, eo religioni egregie consulere opinarentur, quod ad formulas quasque vetustate abolitas recurrerent, neque non obscuros, nescio quos, sensus opera omni excitarent; unde quantum detrimenti solido litterarum studio verique nominis pietati immineret, neutiquam me latuit. Illa vestigia proinde summa vi fugere mecum statui, neque id non assecuturum me esse speravi, si inchoata jam subtiliora theologiæ studia religiose continuarem; nimirum posse cum ingenua animi libertate sobrioque rationis usu pietatem ita conjungi, ut sic demum eadem sibi per rerum discrimina constet, tum interna me docuit pectoris vox, tum præclarum, nemini non notum, magistri in universitate nostra exemplum probavit; quod pro virium tenuitate æmulandum mihi sumpsit. Ad philosophicas autem theologiæ disciplinas pertractandas ipsa ingenii indole studioque alte infixio duci me sensi; quas ne rudis imparatusque aggrederer, varias philosophorum antiquioris recentiorisque memoriæ rationes diligenter perlustrandas esse putavi, sic demum futurum esse ratus, ut iudicii vis sensim sensimque acueretur adque res religiosas dijudicandas rite excoleretur; hæc autem studia si quid attulerint mihi utilitatis, annis sequentibus spero constabit; quantum voluptatis, intus ipse sentio.

Præterea vero et aliis et mihi eo consulere conatus sum, quod operam commilitonibus officiose offerrem, si qui ad studia theologica instituenda moderandaque mihi se duci committere vellent. Quanti vero ex disputandi exercitiis, nostris temporibus justo plus neglectis, fructus redundant, quo promptior fiat ingenii linguæque vis, apprime equidem intellexi; quare non ante modo auspiciis virorum summe venerabilium Thorlacii et J. Mölleri me addixeram, sed postea quoque commilitonum provectorum numero me adjunxi, qui per septimanas singulas in Lyceo, quod dicitur, Hauniensi colloquia latina disputando instituunt; neque semel certaminibus publicis vocem immiscere ausus sum, sive Opponentis, sive Respondentis vicibus fungens; quum duumviri summe venerabiles, professor Krogh Meyer et J. P. Mynster, ad ædem divæ Virginis comminister, summos in theologia honores in festo inaugurationis augustissimi Regis atque Reginae capessentes, haud indignum me censuerunt, quem partibus suis adjungerent. Appropinquante denique festo seculari tertio, quo merita divi Lutheri de sacris ecclesiae purgatis pie recoluntur, exiit pro more majorum Universitatis nostræ decretum, quo, si qui honores academicos ambirent, eruditionis specimina publice offerre juberentur; illi autem ut et ego morem gererem, viri, plurimum apud me valentes, exstiterunt autores. Quapropter, quum festi ipsius, theologiae cultori cuique lætissimi, ratio invitaret, quæstionem pertractandam adii, quæ studium animumque jamdudum adverterat; neque parum ad opus strenue peragendum Viri benevolentia profecit, cujus nomen ut annalibus litterarum, sic animis cultorum earum impressum per secula fulgebit, Viri, quo patrono præsidioque uti jam gloria est, Illustrissimi Domini *Johannis de Bülow*, qui novissimis his temporibus benignissimus mihi exstitit Mæcenas. Inter hæc vero, quæ fausta mihi contingere, omina acerbissimum me fatum contristavit; scilicet, quum in eo jam essem, ut commentationem, urgente tempore, publice defenderem, matrem piissimam, dilectissimam, a morte sinui ereptam vidi; neque nisi coelesti religionis luce nubila diffundente, hunc animum resumere contigit, ut laborem, læte inceptum, ad finem, lugens moerensque, perducerem, Deo, qui afflictis propitius adest, pie confidens.

Pauca, quæ, studiorum documenta publica, judicio doctorum submittere hucusque ausus sum, hæc sunt:

De indole et genio disciplinæ veteris ecclesiae christianæ, vid. Sjellands Stifts Landemodes Vidensk. Forhandl. 2 B. 3 Hefte, 1816.

De argumento, quod ex nexu, qui religioni christianæ cum universo rerum ordine intercesserit, divinam illi auctoritatem vindicat; præmissis de ratione apologetices veteris paucis quibusdam, vid. J. Müllers theol. Bibl. 11 B. 1817.

Apologetæ ecclesiae christianæ ante-theodosiani, Platonis ejusque philosophiæ arbitri. Disquisitio pro summis in philosophia honoribus rite obtinendis. Hauniæ MDCCCXVII.

XVII.

Natus sum ego NICOLAUS FABER die 19 mensis Junii a. 1789 Othiniae in Fionia, patre Erasmo Faber juris consulto, posthac Hafniae negotiatore, et matre Anna Christina Henneberg, quibus parentibus carissimis non ego solum sed duo quoque fratres et quatuor sorores educationis diligentissimae beneficia debere grato animo fatemur. Cum jam inde a primis annis litterarum studium praeme ferrem, omnia, quae ad hoc conservandum et augendum facere poterant, parentes libenter contulere: itaque cum crederent, facultates teneri animi praepetoris privati ope et melius et celerius excoli, per plures annos institutione domi usus sum; e pluribus tamen praepetoribus, quorum doctrina et monitis ductus litteris operam dedi, nisi Blok Töxen, virum in re scholastica insignem, cui prima solidae doctrinae fundamenta debere grata mente agnosco, hoc loco memorarem, vituperio sane dignus mihi viderer. Anno meae vitae decimo sexto scholae Othiniensi traditus sum, qua varia scientiarum genera eo tempore a doctissimis et celeberrimis viris tradebantur; inter quos imprimis Professores Heiberg et Bloch nominandi sunt, viri maxime colendi, quorum de mea eruditione merita nulla unquam delebit oblivio. Anno 1807 dimissus, examine artium cum laude absoluto, ab examine philosophico ac philologico publico encomio ornatus discessi. Ad theologiae studium, voto et proprio et parentum ductus me accinxi; in quo si quid profecero, institutioni virorum summe venerandorum Hornemann, P. E. Müller, B. Thorlacii, J. Müller hoc omnino tribuendum esse, veritas mihi semper colenda erit. Examine theologico cum laude peracto alumnus seminarii, quod pastorale dicitur, factus sum, quo ad munera sacerdotis practica rite obeunda illustrissimorum virorum ductu omnibus viribus me praeparare enixus sum; qua in re beneficia summe venerandorum Münter, Clausen, Öllgaard et Örsted tanta sunt, quorum memoriam intimo pectore meo servandam semper tuebor. Omnibus itaque, quae ad theoreticum et practicum theologiae studium spectarent, intra tres annos et dimidium absolutis, religioni in variis scholis metropolitanis tradendae operam dedi; mox autem cum munus et religionem et danicam linguam inferioribus scholae cathedralis hafniensis classibus tradendi mihi offerretur, hoc libenter aggressus sum; quo in munere fungendo tantum superiorum favorem nactus sum, ut institutio non solum religionis et danicae linguae superioribus classibus tradenda, sed quoque hebraica lingua, venerando Herslebio ad universitatem Norvegiae vocato, et varia Ciceronis scripta interpretanda in me transferrentur, quo scientias vario modo excolendi optima occasio mihi praebita est. Quoties hujus temporis memoria redit, nomina carissima virorum ornatissimorum et doctissimorum, quibus consuetudine quotidiana junctus eram, animo meo obversantur; rectori scholae, professori Nissen, ob benevolentiam,

qua studium et meam in docendo diligentiam semper excepit, non possum, quin gratum meum animum tester. Illo fere tempore cum pro commentatione in quæstionem ab alma universitate propositam sermone latino conscripta: de apologetis primi christiani ævi, etsi non præmium aureum, honoratissimum tamen accessit retulissem, commentationem in vernaculam linguam vertendi cepi consilium, quod hoc ipso anno perfeci. Illo autem tempore, quo munere docendi adhucungebar, vitæ gaudiorum et dolorum sociam carissimam mihi deus optimus donavit, Christinam Kaarup, quacum quot annos vixi, totidem prosperitatem meæ vitæ auctiam esse gratissimus agnosco. Anno autem 1814 a carissimo fratre mihi propositum est, ut ei in negotiis suis administrandis opem ferrem, ita tamen ut otium, priori quo fruebar adhuc majus, adscientias excolendas mihi superesset; quo cum respectus ad rem familiarem non tam parce quam autea acquirendam accessisset, haud mihi dubitandum putavi, quo minus propositioni pluribus et utiliori et jucundiori consentirem. Quo facto scientiæ tamen colendæ animo semper observabantur, ita ut otium, quo nunc utebar, libello edendo inserviret, qui inscribitur:

De ældste Christnes Apologetik, eller en kort Fremstilling af de Grunde, med hvilke de ældste Christne have forsvaret Religionen mod Jöders og Hedningers Angreb.

Præterea sine dubio illo otio etiam adjutus studio philosophiæ ardentem incumbere potui; quo destitutus dissertationem, quæ nunc prodiit, inauguralem: de origine idearum, absolvere minime potuissem.

XVIII.

Ego GUILIELMUS CHRISTOPHORUS ZEISE, natus sum Slaglosiæ a. MDCCLXXXIX, patre Friderico Zeise ibi Apothecario, matre Hanna Helena Hammond, utroque divino beneficio adhuc dum superstite. Anno 1802 scholæ Slaglosianæ traditus fui, ut artibus humanioribus imbuerer. Sed cum pharmaciæ unice me dare constituissem, post biennium et quod excurrerat schola relicta, usque ad a. 1806 in arte apothecaria discenda totus fui. Inde vero nova et, quantum judico, gravissima eademque felicissima extitit vitæ meæ epocha. Ut in chemia generali, scientiisque cum ea arctissime junctis bene versatus forem, carissimum patrem, mea commoda omni ratione juvare paratum rogavi, ut a celeberrimi Professoris Örstedii, institutione proficiendi mihi copia daretur. Contigit mihi voto potiri; viroque præclaro traditus, ejusque curæ formationique dein fui commendatus. Örstedii ingeniositatem, eruditionem & perspicaciam laudare modestia vetat; sed ejus in me singularem humanitatem, promptamque, qua mea studia fovit, et ad majora inflammavit, benevolentiam mente gratissima servabo, atque dum vita supererit, sensu penitissimo recondam. Tali sub auspici-

spicio in chemicis pergens, necessitatem magis magisque animadverti studia humaniora denuo redordiendi, atque ita Academiae me præparandi. Duce itaque viro egregio Candidato tum Theologiae nunc verbi divini in parochia Hiembek prope Holbekiam ministro Erhardo Christiano Basse, tantum profeci, ut a. 1809 ab eo ad Academiam dimitterer. Examine artium isto anno, et Examine philosophico-philosophico anno sequente feliciter defunctus, decreveram cum studiis chemicis-physicis scientiam iâtricam conjungere. Hoc sine prælectiones Cel. Skielderupii anatomicas et physiologicas per biennium sedulo frequentavi; sed cum in eo eram, ut ad cæteras iâtricæ disciplinas transirem, res incidere, quæ me cogent, missa medicinæ scientia intra chemiam et physicam mea studia circumscribere. Nunc itaque incepti prælectiones de historia naturali, præcipue de mineralogia et botanica obire; et meritissimis quidem harum scientiarum professoribus, Viris Illustrissimis Wad et Hornemann summas grates habeo. Anno 1815 Examine pharmaceutico me subjeci, et omnium Censorum consensu laudabilis discessi. Dein quavis occasione usus sum ad studia mea physico-chemica theoretice pariter ac practice locupletanda. Sic triennio abhinc tractatum de *chemia plantarum* conscripsi, quem peritis probatum mea scrinia servant. Cum stipendium Collegii Walchendorphiani mihi benigne concessum esset, tractatum, ex collegii statutis elaboravi: *de empiricorum, imprimis physicorum, veritatem indagandi methodo*. Hæc qualiacunque molimina cum viris talium rerum gnaris non displicuissent, illis commendantibus a. 1816 a Rege Clementissimo publicum obtinui stipendium, quo suffultus iter ad externos ad studia mea persequenda suscipere mox moxque queam. Cum vero disquisitionem experimentalem incepissem, unde, si eam rite persequerem, gravissima effici posse credebam, constitui iter differre donec illam longius continuassem. Ita eo me pervenisse putavi, ut, non quidem finitam (id enim tempus haud permittebat) experimentorum de vi corporum alcalinorum in nonnullas plantas seriem dare possem, sed tamen talem, quæ chemicis forte grata foret. Hæc exponere, non indignam autumabam esse materiam, quæ in dissertatione pro summis in philosophia honoribus inaugurali tractaretur. Cum itaque ex legum Academicarum jussu publico cum Professoribus Chemiæ, Philosophiæ, Latinarum Græcarumque literarum colloquio tentatus dignusque essem habitus, qui ad Magisterium Artium et Doctoratum Philosophiæ admitterer, istud eruditionis specimen elaboravi et publice defendere conatus sum.

XIX.

Ego JOHANNES LUDOVICUS HEIBERG patrem veneror *Petrum Andream Heiberg*, Matrem *Thomasinam Christinam Buntzen*. Natus sum Hafniæ anno MDCCXCI, die quidem illustrissimo, 14^{to} dico mensis Decembris, quo Vir ille præclarus, cujus nomen

inter omnia, quibus Patria gaudet, nomina illustria, facile est princeps, Tycho de Brahe, Daniæ atque mundi lux, luci donabatur. Octavum vix clauseram annum, quum pater missus est in exilium. Paulo post patris amico, Celeberrimo Viro, *Canuto Lyne Rahbek*, et egregiæ ejus conjugii ego puer traditus sum, educationis meæ curam habituris. In eorum domo, rurali secessu, Musis sacro, duos annos consumsi. Præceptorem interea habui Virum perquam egregium, Doctissimum *Petrum Hansen*, eo tempore S. S. Theologiæ Candidatum, nunc parochiæ Slingerup antistitem, pia mente a me semper colendum. Per sex continuos annos amabili ejus usus sum consuetudine et docta institutione, nec adhuc bene distinguo, quid is magis mihi præstiteret, utrum fidelem amicum an præceptorem egregium. Tam vero felix eram, ut quum præstantissimum illum virum, quippe sacrorum antistitem factum, amittebam, alium acciperem, non minus præstantem, mihi sane carissimum, quem profunda veneratione semper prosequar, Doctissimum *Erhardum Christianum Basse*, tunc S. S. Theologiæ Candidatum, nunc sacrorum in parochia Hiembek, quæ sita est haud procul ab oppido Holbek, antistitem. Hic tribus annis institutionem meam perfecit, meque, optimo testimonio munitum, ad Academiam dimisit. Eodem fere tempore factum est, ut cum clarissimo et doctissimo Viro, Celeberrimo *Johanne Christiano Ørsted*, qui nunc est in hacce Universitate Professor, familiaritatem inirem; nec sane diffitebor, novam ab hoc inde tempore periodum in educatione mea literaria ortam esse. Quod is matheseos elementa privata institutione me docuit, id sane minimum est quod ei debeo. Sed præstantissimus ille Vir quicquid in me sit spiritus, ad altiora, ut ita dicam, tendentis, primus fuit, qui excitaret. Uti enim suis præcipue scientiis eum omnibus viribus addictum, sic ei cetera omnia, quæ hominis intersint, curæ cordique esse, quis est, qui nesciat. Ita factum est, ut is me sæpissime, quin in meis ipsius regionibus versantem, manu duxerit titubantem, deficientem excitaverit, consolatus sit animo fractum. Anno MDCCCIX ad almam nostram Universitatem dimissus, ab illustrissimis, doctissimis et humanissimis Professoribus benevole excipiebar, ita ut unius anni decursu cives academicus et Candidatus philologiæ et philosophiæ factus sim. Ab eo inde tempore per varia studia, prout animo lubebat, passim distractus, poësi tamen et æstheticæ præsertim incumbere. Variis poëmatibus scriptis et publici juris factis, etiam æsthetici aliquid scribere conatus sum. Dissertationem itaque de poësi Hispanorum dramatica, elaboravi, quam (prægresso juxta Universitatis leges publico in consessu Facultatis Philosophicæ colloquio de arte æsthetica, de philosophia, deque Latinis et Græcis literis, unde discessi cum laude dimissus) ad summos in philosophia honores rite obtinendos publice defendere studui.

Cum Rex noster Augustissimus **FRIDERICUS SEX-**
TUS, quæ Ejus est pietas religionisque veneratio, benigne
juberet, ut *tertium hoc sacrorum per Martinum Luthe-*
rum reformationis Jubilæum splendide per totum Daniæ
regnum integro triduo celebraretur, voluit, ut die festi me-
dio, mensis Novembris 1^{mo}, in Universitate Havniensi Ho-
nores Academici, post docta certamina rite habita, meren-
tibus impertirentur. Dignabitur Ipse Rex Clementissimus
cum Domus Regiæ Principibus Serenissimis hisce solenni-
bus interesse; suscepto prius pio actu, quo in æde matris
Christi, ex suis cineribus jam surgente, altaris lapidem fun-
damentalem, inter sacras symphonias, manu Augusta ponat.
UNIVERSITAS ergo **REGIA HAVNIENSIS**, publica de
sacris restauratis gaudia eo justius participans, quo magis
commoda ex ista reformatione ad omnes literas redundan-
tia agnoscit, festum Academicum celebrabit, die 1^{mo} No-
vembris h. xi in æde Stæ Trinitatis habendum. Indicimus
illud auctore **COLLEGIO REGIO**, *quod res Academi-*
cas et Scholasticas apud nos moderatur. Præmissis et
interspersis sacris modulis, **RECTOR UNIVERSITATIS**
Claudius Frees Hornemann, Theologiæ Doctor et Pro-
fessor Publ. Ord. atque Ordinis Danebrogici Eques auro-
tus, primum Cathedram conscendet publice oraturus: de
emendationis sacrorum, per **LUTHERUM** ejusque socios
a *Deo* effectæ, necessitate atque utilitate, ejusdemque recta
æstimatione et usu legitimo. Dein ordine prodibunt sin-
guli *IV Facultatum Decani*, atque brevi oratione ha-
bita Doctores in sua quemque scientia solitis ritibus crea-
bunt et proclamabunt. Ad testificandam liberalitatem, qua

ecclesia Lutherana secus sentientes prosequitur, IV Exteris ecclesiae Reformatæ, Rege jubente, honoris causa Doctoratus Theologiæ conferetur. Erunt omnino VI Doctores Honorarii, XII Doctores Ordinarii, Unusque, in Medicina quidem, Licentiatus. Finita quam vocant promotione, procedet S. V. *Hertz*, creatorum, qui adsunt, primus, omniumque Academicis Honoribus ornatorum nomine solitas gratias aget piisque precibus perorabit. Hisce solennibus ut adesse velint, quotquot nobiscum sentiant, quid sacris per Martinum Lutherum ejusque exemplo emendatis bonæ omnes literæ et artes debeant, ea qua par est, observantia rogamus.

Dabamus Havniæ d. xxv Octobris a. MDCCCXVII.

Sub Universitatis Sigillo.

ORATIONES

HABITAE

IN

UNIVERSITATIS HAVNIENSIS SOLENNIBUS

d. I NOV. MDCCCXVII.

ORATIONES

HABITAE

IN

UNIVERSITATIS HAVANIENSIS SOLLENNIBUS

MDCCCLXXV. NOV. I. 5

I.

ORATIO,

QUAM UNIVERSITATIS NÖMINE HABUIT

THEOLOGORUM PRIMUS

RECTOR MAGNIFICUS

CLAUDIUS FREES HORNEMAN,

THEOL. DR. ET PROF. ET COMMENDATOR ORD. DANNEBR.

*Rex Celsissime, Clementissime!**Monarcha Augustissime!*

Densa nebularum moles obruebat orbem terrarum, cum *Deus* juberet: per nebulas splendeat *solis* lux! et splenduit; caliginosa errorum nox tegebat terræ incolas, cum *Christus*, odium Pharisæorum crudele alto contemnens animo, diceret; per noctem exsplendescat *veritatis* lux! | et exsplenduit; atræ superstitionis tenebræ rursus cingebant *Europæ* gentes, cum *Lutherus*, fulmina *Vaticana* vilipendens, Christi vestigia premens, iterum diceret: per tenebras nova splendeat *veritatis* lux! et nova splenduit.

Quum *Christus*, veritatis virtutisque doctor divinus, coelitus missus, inter homines prodiret, admodum perversa erat horum conditio moralis: idololatria sanguinolenta inter Ethnicos dominabatur: si quis, pietate gravis, recte, et supra vulgum insipientem, idola sua colentem, sapere auderet, exilio aut morti tradebatur.

Inter Judæos alia quidem erat externa rerum facies, sed hominum interna conditio mentalis vix melior; ubi enim Pharisæismus grassatur, hypocrisis, fictæ pietatis velo pessima occultans vitia, veritatis testium sanguinem innocentem idolis suis *occultis*, superbiam nimirum et vindictæ cupidini, sacrificat: ita Jesum innocentem, summum

virtutis exemplar, odio inlaniabili ad mortem usque persequerentur Pharisei: — ubivis terrarum, inter *Ethnicos* et *Judæos*, constans erat plebis vecordis et demagogorum opinio: victimis cruentis omnia vitia expiari *posse* et expiari *debere*.

Doctrina *Christi*, ab Apostolis per orbis Romani terminos divulgata, inter *Ethnicos* altaria idolorum sensim sensimque destruxit; viderunt quoque primi *Christiani* templum *Hierosolymitanum* magnificentum, cum cultu suo splendido suisque victimis cruentis, per *Romanos* eversum; sed *Phariseismus*, sub ruderum cinere, veluti anguis sub herba, latens, diu suspiria trahens, denuo revixit: etenim ubivis locorum omnique tempore, sub formis innumeris infinite variatis, in animos hominum debiliorum, nec plerumque sine successu, se insinuare studet hostis ille generis humani infestissimus.

Quamdiu inter antiquos *Christianos* vigeat doctrinæ simplicitas morumque probitas, anguis latens caput depressit; quum autem, temporum decursu, ab utraque recederent ecclesiæ membra et antistites, serpens ille, sub templi *Hierosolymitani* ruinis hucusque abditus, ad aulam *Constantini* subito confugit, ibique vires recepit; deinde vero, ingruente ævo obscuriore, sub tutela curiæ *Romanæ* alimentum quæsit, et — abundanter — invenit; ibique, a *Monachis* nominatim in ulnis receptus, bene altus, et sollicito cultus fuit: atque hic hostis erat acerrimus, cui strenue se opposuit *Martinus Lutherus*, cum ecclesiæ sacra emendaret!

Per Daniæ regnum sollemnissimo hoc festo seculari tertio, ita jubente FRIDERICO SEXTO, Patriæ Patre, Pio, Augusto, Optimo, *beneficii* hujus *divini* memoriam pie, sancte et solemniter recolimus. Mihi, sic fata tulerunt, ambigua quidem et nonnihil periculosa, sed jucunda tamen, hæc fors contigit, ut popularium meorum, nostræ nominatim Universitatis, ob exoptatissimum hunc eventum, gaudiorum interpretes sim. Sancto huic officio, quantum in me est, satisfactorius, materiam dicendi ita disponam, ut in programmate edito jam scriptum est:

Ut autem absit *justa* offensionis causa, in universum hoc habeo præmonendum: fere unice de rebus *præteritis*, de *præsenti* tempore fere nunquam, in prima nempe orationis particula, me dicturum esse: Primum igitur de necessitate atque utilitate emendationis sacrorum hoc loco paucula:

I. a.

Ubivis terrarum, quousque penetraverit Evangelii lux, idolorum templa et altaria, iisdemque annexa sacrificia cruenta, sensim sensimque abrogata, penitus demum cesnaverunt. At enim vero, si alia paganismi statuta spectaveris, per cultum, durante ævo obscuriore stabilitum, eorundem nonnulla novam modo formam induisse videbantur: valet hoc nominatim de cultu Sanctorum, reli-

quia-

quiarum et imaginum in ecclesia corrupta: sancti *Januarii* effigiem pictam, aut statuam sculptam, a plebe, mente turbata, nunc cæca adoratione cultam, nunc iterum virgis cælam, et lapidatam, videndo, a rifu aut a lacrymis quis, quæso, temperet?

Pharisæorum errores, a *Constantini* inde tempore, ad *Christianos* pleno agmine transierunt; erroribusque inerant vitiorum fontes: Gravisimus autem error, tunc ut nunc, et inter homines semper, se prodidit in modo statuendi de medio se deo probandi: pium virtutis, id vero est, genuinæ et unice veræ πίστεως, studium nec ab aliis postulabant obscurioris ævi doctores, neque vero ipsi recte colebant; recurrebant potius ad rituum observationem strictissimam: ad sacrificia, ad corporis cruciatus, ad jejunia perfecta, et decimas clero solvendas; denique, ad indulgentias, pro pecuniarum summa præscripta emendas, laicos omnes ablegare ausi sunt clerici et monachi — titubat lingua, sed verum dico — astuti, avari, insolentes. Hinc omnia illa mala, Auditores, quorum agmini proruenti audacter se opposuit *Lutherus Noster*, hoc certe nomine *Maximus!* Corruptionem hanc diu ante Lutherum testes martyresque veritatis, *Valdenses* . . . reliqui, publice et acriter culpaverant; sed frustra: gladio et igne episcopi et Monachi hominibus, quales plurimi tum erant, et plerumque esse solent, silentium imponere intellexerunt. In omnium manibus sunt notissima illa centum gravamina, quorum numerum, certum pro incerto, nullo negotio augere potuissent miserrimi illius ævi homines miseri; ab his autem, coram hoc coetu solemnem et Augusto, prolixius commemorandis consulto nunc abstineo; juvat potius, in causas horum gravaminum, earumque nominatim præcipuam paullulum inquirere, in qua fons est omnium illorum malorum: est autem hic fons sensuum humanorum externorum vis prædominans immodica, cui se adjungunt phantasiæ lusus, illecebræ, et figmenta arbitraria: periculosa hæc conjunctio est, quæ generis humani progressum in melius, nunc ut olim, reprimat retardatque; in hac nempe inest gravissimum impedimentum, quo rectus sanæ rationis usus cohibetur: hoc autem neglecto, a recto veritatis et virtutis tramite deflectunt, ad devia, ad errores, ad vitia abducuntur; impetu irresistibili proni ruunt,volvuntur, præcipitantur homines:

Sed ad tempora præterita iterum redeo: in hac denique conjunctione perniciosissima inerat error ipse fundamentalis primarius, ex quo, veluti ex fonte perenni, reliqui continuo profluxerunt, omnes nimirum ad auctoritatem et fiscum aulæ Romanæ continuo augendum unice spectantes; — interea enim sedes episcopi Romani, *Apostolica* dicta, ad dignitatem aulæ, munificentia nempe *Pipini*, evecta erat. — Nunc Pontifex, sensus hominum externos pompa splendidissima fascinatos tenere haud negligens, *Christi Deique* loco, et nomine,

et auctoritate, cogitans, decernens, agens, cunctos Europæ populos, principes et subditos, minis et poenis, et fulminis ictu, et sacrorum interdictu perterritos, impune vexabat: si Papæ displicebat princeps, subditi abalienati huic ne quidem obedire ausi sunt; si populus displicebat, princeps subditis oppressis opem ferre haud valuit: miserrima sane rerum humarum conditio! Papis nunc *omnia* licita erant, nec sua licentia uti negligebant: quod unice et præ omnibus agebant, hoc erat ut fiscum continuo auferent: ut huic consilio satisfaceret, nova inventa sunt dogmata et statuta quamplurima, immodice *lucrifica*: de anno jubilæo duplici, de annatibus, de investitura, de exemptione Monachorum, ceteris; denique *de indulgentiis*, quæ veniam peccatorum, futurorum æque ac præteritorum, atque adeo ipsam *quasi peccandi veniam*, largiri fere dici potuerint: Incredibile dictu est, quantæ pecuniarum moles his machinationibus, his artibus, hac vi, hac inventione undique congestæ, in curiæ Romanæ fiscum quotannis, nec raro quotidie, confluerent; nec minus mirum, qui fieri potuerit, ut universæ fere Europæ gentes, principes et subditi, ab *Hildebrando* ejusque collegis, persecutorum tam longam seriem, pecudum instar, cruciari se passi sint, et — muti manserint! Quis talia mente volvendo et revolvendo, quis talia fando et proloquendo, temperet ab indignatione justissima? Auditores!

Attamen, non omnes *Christiani* plane obmutescebant; mature jam clanculum gemuerant laici multi; sed *sonora* suspiria trahere, nedum *loqui* aut *plangere*, aut *mutire* denuo, vix ullus audebat — donec tandem, sensim sensimque, ex somno et stupore expergefacti, evigilaverint pauci, erectioris ingenii celsiorisque indolis homines, qui *primum* quidem *submisse* vocem emittere, *subinde* vero *altius* extollere sustinuerunt: hi, licet martyres facti, viam tamen apernerunt, quam, licet sanguine madentem, plures tamen deinde ingredi haud abhorruerunt: *Caroli magni* *primique Ottonis* tempora aliquam jam rerum in melius mutationem secum tulerunt; et, hominum occæcatorum oculos mox apertum iri, tum jam sperare fortasse licuisset, nisi intervenissent *expeditiones in orientem cruciatae*, a curia *Romana* si non inventæ, at certe vehementissime commendatæ atque promotæ: insanis hiscè conaminibus omnia subito iterum in pejus mutabantur: quum enim *Europæ* heroes fortiores et juvenes audaciores in *Palæstinam* migrarent, ibique morbis et fame et *Saracenorum* gladiis consumerentur; quæ remansit, fex populi, eo facilius cleri arbitrio regi se passa est, et ad quævis ridicula, abjecta, vilissima patienter trahi. Igitur hoc quoque ævo, miserrimo et maxime obscuro ad summum fastigium erecta est auctoritas episcopi *Romani*; adeo ut, quemadmodum antea imperatorem *Henr. IVtum*, *Gregor. VII*, sic deinde *Henr. 2dum*, *Angl. Regem*, *Steph. III.* indignissimo modo humiliare et abjecte tractare valuerit.

Attamen, quod sæpissime fit, ita nimirum rerum humanarum vicissitudines moderante cura numinis provida, hoc nunc quoque factum est: quæ potestati cleri *Romani* augendæ ab initio inservierunt, hæc deinde sensim sensimque eandem valde debilitarunt: quemadmodum enim antea, *Constantinopoli* a *Turcis* expugnata, docti *Christiani*, inde fugati, rectoris cognitionis semina per *Occidentem* sparserant nonnulla; sic iterum nunc, *Christiani*, pauci quidem, ex *Oriente* reduces facti, novas, ab *Arabibus* hausas scientiarum reliquias, secum reportarunt.

Hæc Christianarum, in Europa nominatim occidentali, fere erat rerum facies — cum *Martinus Lutherus* — primum Monachus, deinde vero, sacræ scripturæ et Theologiæ Doctor legitime promotus: — morum elegantia parum politus, sed, quod majus est, integer vitæ scelerisque purus — vir doctus et ingeniosus, forti simul et constanti animo a deo instructus, publice prodire, et, cunctantibus aliis, inter homines fere solus, sibi que et deo unice relictus, corruptioni universali se opponere, audacissime sane, sed egregie simul sustinuerit!

Viaë Luthero parandæ initium quidem factum fuerat, sed, quam, quæso, tenuissimum! proximi Ejus antecessores, *Johannes Hufs* et *Hieronymus Pragensis*, rogi flammis consumti erant; et *primus* quidem contra saluum conductum, ab imperatore ipso illi publice datum — ita nimirum jubente clero: hæreticis fidem, ipsis datam, tenendam haud esse! *Lutherus*, duplicis hujus *caedis* haud inscius, his tamen vestigiis haud deterritus, comitia *Wormatiensia* securus adiit, et, quis crederet? — salvus rediit! ita vero nunc muta erant tempora!

Attamen, de magno viri egregii consilio, ad exitum felicem perducendo, actum fortasse fuisset, nisi *artis typographicæ, recens inventæ*, ope insigniter adjuto, suos veritatisque hostes in campo aperto aggredi, illi licuisset: hoc enim veritatis contra errantium vim violentam artesque dolosas, firmissimum est munimentum atque palladium ipsum; ultimum est et fere unicum præsidium refugiumque — *libertas* nempe, non *cogitandi* solum, quam tamen intactam, illæsam et non violatam, homini relinquere homines coguntur; verum etiam dicendi, et preli nominatim ope, *publice* dicendi facultas et venia: hac enim unice, recte et legitime adhibita, detegi possunt fraudes occultæ, malaque adversariorum consilia clandestina explanari et reprimi: — vox audita abit, literæ scriptæ manent, et aculeos in animis relinquunt:

Hac arte inventa, signa temporum cito ostenderunt, Pontifici *Romano* pro solio suo, fundamento debili superstructo, multum certe timendum esse: nunc homines, respirandi tempus nacti, et paululum audaciores facti, non solum ob *suam* miseriam *altos* gemitus ducere ausi sunt, verum etiam injurias *cruentas, antiquis*

veritatis testibus illatas, in memoriam revocabant, et *indignati* nunc, et *murmurantes* denuo, æque ferebant; Nunc ingenia præstantiora, *Dantius, Petrarcha, Erasmus* deinde, jocosè et severe clerum corruptum aggressi, auctoritati papali gravia vulnera inflixerunt: Sic varia quidem ante *Lutherum* facta jam erant; quæ vero fere infecta iterum reddidit cleri studium indefessum, artificiosum æque ac violentum, adeo ut immensæ tamen molis *Luthero* adhuc superesset opus suscipiendum et sustinendum: — Ex Monachorum catervis, ex ipsa cohorte aulæ Romanæ, e cellula sua, *angusta* simul et *augusta*, prodit vir, corpore parvus, sed animo maximus, qui fulminantis Pontificis vim, non nihil debilitatam, sed immodicam adhuc, intrepide aggreditur, et vehementer concutit! — Mox plurima, a *Luthero*, audacissime sane, ideo autem haud minus egregie, effecta, ultro sequebantur et subito: promulgatio thesium nonaginta quinque, quæ, satis quidem notæ, nondum autem, ut equidem opinor, nostris nominatim temporibus, satis æstimatæ sunt: ceteraque plura, notissima, ideoque in oratione prolixiore, seorsim edita paucis modo verbis a nobis commemorata.

I. b.

Ex *necessitate* rei sponte sequitur ejusdem *utilitas*; sed juvat tamen, brevissimo temporis spatio, quod nobis forte supererit, his paullulum adhuc immorari: Fuerunt certe commoda politica haud pauca nec levia cum reformationis felici successu conjuncta; sed in rebus, ad *mentem* pertinentibus, longe tamen majora et graviora: *Inter nos* nunc ministri ecclesiæ non sunt *sacerdotes*; sed sunt verbi divini ministri, sunt interpretes codicis sacri, sunt *Christi religionis doctores*; inter nos nunc homines, *pauperes* nominatim, non anguntur, pro parentibus, conjuge, liberis, morte sibi ereptis, metu *ignis*, pecuniis unice exstingvendi

Maximum autem beneficium, vere divinum, ex sacris, per *Lutherum* Ejusque Socios emendatis, derivandum, *hoc mihi est, et semper fuit, semperque erit*: fractio nimirum vinculorum, quæ *sanæ rationis recto usui, sacrique codicis rectæ explicationi*, injuncta olim erant, et fere adhuc sunt, ubi nempe Catholicismus dominatur, per auctoritatem, traditionibus cet conciliatam et vindicatam; denique, per *phantasiæ humanæ lusus, illecebras, et figmenta arbitraria*.

Hujus autem beneficii eximii commemoratio directa via nos ducit ad ultimam oratiunculæ particulam, cujus argumentum in programmate edito propositum est — *hoc iterum loco* quam maxime contrahendam.

II.

Ex pluribus, quæ in oratione prolixiore de hac re, gravissimi certe momenti, a me dicta sunt, non nisi paucissima hæc, hoc loco, ob temporis penuriam, in medium proferre licet:

In religione revelata *duplex* imprimis usus rationis humanæ ultro se offert, et manifestum facit: *alter* in criteriis veræ revelationis recte dijudicandis, in ejusdem fontibus recte explicandis versatur *alter*: Hunc ultimum imprimis rationis usum nobis fortiter vindicavit *Lutherus*, semper et strenue urgendo, sacram scripturam, *recte explicatam*, summam esse *normam fidei Christianorum*: hanc igitur normam *recte explicandi conamina* religionis doctoribus *libera* semper relinquenda erunt: in hac enim *libertate* verum inest *Christianorum Evangelicorum* contra adversariorum vim et artes præsidium refugiumque: Arripiamus igitur, Auditores, amplectamur, teneamus firmiter, hoc palladium, quod *Lutherus*, dum in vis erat, nobis acquisivit, et post obitum nobis reliquit!

Porro: *probe* cavendum nobis erit, ne *sensuum* et *phantasiæ* dominio, aut *ritibus* in univèrsum, nimium indulgeamus: quum homines *sanæ rationis usum contemnunt*, atque adeo *negligunt*, et *phantasiæ lusibus*, atque *illecebris*, duci, trahi, abripi se patiuntur; de vero rectoque invenièdo et rite colendo actum est: quemadmodum enim *sensus externi*, quod sibi gratum sit et jucundum, unice appetunt; sic *phantasiæ* proprium est, ut *non in veritate investiganda*, sed in *singendo* versetur: veritatem igitur invenire non solum non potest, sed ne quidem vult; et tamen figmenta sua arbitraria in locum veritatis ipsius substituere audet: tum facile credunt homines, quicquid voluerint ipsi, quid ipsis placuerit, quid sibi conveniens, commodum, utile, suisque desideriis, voluptuosis, ambitiosis, sensualibus omnino, congruum esse sentiant:

Capiti et pectori humano inest sensus pulcri, decori, honesti, veri rectique; sed debilis est in infantia et pueritia hominum hic sensus animi *internus* — et plurimi homines per integram vitam suam, longævam etiam, ex infantia et pueritia annis, mentali sensu, vix egrediuntur — si negligitur ille sensus *boni, veri et recti*; si *sensuum externorum* et *phantasiæ* vi et impetu obruitur nimiumque turbatur, denuo fere penitus evanescit; quod ne fiat! bene cavere, hoc *rei publicæ, civilis, literariæ*, atque etiam *ecclesiasticæ*; hoc *mei, hoc Tui, hoc omnium, qui inter nos recte sapiunt, quibusque curæ cordique est Patriæ, civium, hominum salus, maximi — maximi sane interest!*

Multa, quæ hoc loco omisa sunt, prelo seorsim mandabuntur; ita vero, ut cum his, hodie a me dictis, continua et non interrupta serie cohæreant. —

Decedo nunc, tempusque dicendi et agendi Succesoribus in hac cathedra dignissimis, Collegis conjunctissimis, *necessarium* relinquo.

II.

ORATIO,

QUA

DECANUS FACULTATIS THEOLOGICAE

PETRUS K. MEYER,

DR. ET PROF. THEOLOGICÆ,

UNUM THEOLOGIAE DOCTOREM CREABAT,

IV APUD EXTEROS SOLENNITER PROCLAMABAT.

Inter multa priscae sapientiae exempla, quae, fabularum involucris obiecta, et tanquam per species adumbratas majores memoriae prodiderunt, nullum facile est argutius fictum, vel sollertius inventum et elegantius exornatum, nullum, quod benigniorem laetioemque peritis praebeat meditandi materiem, quam quod Musas, bonarum artium magistras et praesides, a summo Jove editas sorores censerit iussit antiquitas. Ita scilicet originem et dignitatem humanae quaecunque longe excelsiorem et augustiorem nobilissimis mentis nostrae studiis et conatibus vindicatam veteres voluere, probe intelligentes, ingenia humana, quo intentiorem alacrioremque divinae sapientiae operam navarent, eo magis coelestes natales referre. Monitos etiam atque excitatos animos mortalium iidem voluerunt, ut ne in curis ac laboribus, veri, pulchri et honesti studio impendendis, omnia ex praesenti tantum vitae usu aestimarent, sed natalium memores, spreta quasi uda humo, ultra sordes elati, aethereas divinae veritatis sedes impigre invaderent. Nec ab aurea hac doctrina absque maximis incommodis et summo universae rei literariae detrimento unquam a posteris discessum.

Quod autem deas, quibus res nostrae curae essent cordique, germanas prisca homines dixerunt, factum haud dubie est, quod prudenter animadverterant, literas, naturali vinculo junctas, et mutuae opis indigas, cognatione tanquam domestica contineri, seque invicem amore quasi sororio complecti debere. Cujus praeccepti memores, genuini Musarum alumni, quaecunque vel laeta vel tristitia uni literarum generi acciderint, omnibus accidisse rati, in communionem vel laetitiae vel tristitiae ultro venire, et, quantumvis disjunctae sint viae, quibus ad communem veritatis et sapientiae arcem contenditur, egregios tamen, qui in quaque facti fuerint, progressus mutua con-

gratulatione excipere et concelebrare solent. Neque par est, aliter animatos esse eos, qui sororia numina venerentur. Quemadmodum enim in domo recte constituta, ubi invidiam et cupiditatem quisque procul habet, nulli nisi simul omnibus bene est, quod vero uni gratum obtigerit, omnibus factum existimatur, ita quoque in ampla Musarum gente quod uni fuerit fortunatum, omnibus datum censetur.

Neque igitur mirum foret, quod rerum divinarum scientia, cui, quoniam et argumenti, in quo versatur, natura et doctrinæ, ad quam aditum parat, usu angustos hujus orbis terminos excedit, primas ceteræ bonæ artes detulere, omnem Musarum chorum, læta, quæ ante tria secula benigno numine experta sit, fata sibi congratulanti videret, si vel etiam ipsas prosper ille rerum eventus remotiore tantum gradu contingeret. Verum enimvero ea est disciplinæ sacrorum vis et auctoritas, ut pro ejus vel lætiore vel tristiore conditione ceterarum quoque vel incrementa vel decrementa fiant. Habent itaque bonæ artes, quod non illi tantum, sed sibi quæque gratulentur de læta rerum conversione, cujus piam memoriam gratis hodie animis recolimus. Postquam enim, sacris lustratis, theologiæ nova lux affulsit, ceteræ quoque disciplinæ, quarum ope nativum illa nitorem receperat, ex ea viribus vicissim sumtis, latius latiusque in dies evehctæ, illud tandem fastigium ascenderunt, in quo eas jam collocatas videmus.

Quæ cum ita sint, jure meritoque cunctæ ingenuæ artes ad festos dies, quos agit *εὐσεβεία* sibi præ ceteris memorabiles, celebrandos sua quæque munera contulerunt lauta, ampla, magnifica. Quorum copiam et præstantiam intuens, illa non tam pudore frangitur, quod sibi, quæ tamen plurima et maxima referat accepta, non nisi uno pignore, locuplete quidem eo atque egregio, gratisimum animum testari liceat, quam gaudio ex divitiis sororum effertur, quas non sine sua ope ac tutela in tantum crevisse, jure sibi suo gloriari posse videtur. Et habent sane ejus in hac universitate alumni singulares lætandi causas, quæ illam fatorum asperitatem levent quodammodo atque solentur. Quippe quod optimis quibusque prudentissimisque theologis per tria secula in votis fuit, ut infelix illa Christianorum, qui in majoribus consentirent, in minoribus dissenso componeretur, spes jam facta est et confirmata, fore, ut, favente Deo Optimo Maximo, tandem ad exitum perveniat. Neque enim defunt læta rei exoptatæ auguria, concordia doctorum studia, magnanima principum exempla.

Cujus quidem rei illustre documentum habemus veniam, ab Augustissimo Rege FREDERICO VIto ordini nostro datam, ut ad theologos ecclesiæ Reformatæ, muneribus meritisque in rem sacram et literariam graves et insignes, summi in theologia apud nos honores inter hæc solennia amice deferantur. Qua Regia indulgentia nihil
nobis

nobis venire potuit lætius et acceptius, cum complures literis meritisque præstantes viros, hoc quidem honore dignissimos, nondum tamen eo auctos, in illa ecclesia esse, compertum haberemus. Quos inter quum omni laudum genere eminere nobis visi sint

apud Britannos

Reverendissimus Sh. Barrington, Leg. Civ. Dr., e Paribus Regni Magnæ Britanniae, Episcopus Dunelmensis, Comes Palatinus, Custos Rotulorum principatus Dunelmensis, e Præfectis Musei Britannici et Collegii Oxoniensis, a Baliole conditi, Visitator;

apud Helvetios

Summe Ven. Joannes Jacobus Hells, ecclesiae Turicensis Antistes;

apud Borusfos

S. Ven. Fridericus Ehrenberg, in aula Augustissimi Borussiae Regis concionator sacer;

apud Gallos

S. Ven. Joannes Monod, ecclesiae Reformatæ apud Parisios antistes et Consistorii asessor, senatui Pastorum et Professorum, res sacras et literarias Genevæ moderantium, adscriptus, insigni ordinis Liliorum decorus:

Hos quatuor viros clarissimos, de omni re Christiana dicendo agendoque meritisimos, titulo, honore et juribus Doctorum theologiae, Regiis auspiciis, ab ordine meo esse ornatos, edico et solenniter proclamo.

Næque minor nobis est lætandi causa, quod die hoc festo ac felici virum, accuratæ doctrinæ tam sacrae, quam elegantis, gravissimique muneris præclare gesti laudibus inter nos florentissimum, hoc honore præsentem licet decorare. Quem, talem virum, etiamsi iniqua foret et indigna suspicio, fidei olim datæ et per annorum seriem egregie servatæ, oblivionem unquam esse capturam, ut tamen legibus majorum mos geratur, honesta consilia iterata jurisjurandi religione confirmari oportet.

Accede itaque, vir præstantissime et summe venerabilis, in obsequium inviolatum officiorum, Deo, Ecclesiae, Regi et Patriæ præstandorum juraturus

Hac fide accepta — quod felix, faustum fortunatumque sit — ego Petrus Krog Meyer, S. S. Theologiae Doctor, legitime promotus, et in hac Regia universitate Professor P. O., Consistorii asessor, ordinis mei hoc anno decanus, te, Janum Michaelem Hertz, præfecturæ Havniensi et templo cathedrali Roeskildensi præpositum, aurea ordinis Danebrogici cruce insignem, auspice Rege Augustissimo, auctoribus collegis, S. S. Theologiae Doctorem creo in nomine Patris, Filii et Spiritus Sancti, creatum renuntio ac solenniter proclamo.

Macte virtute et eruditione tua, novoque, ad quem eæ tibi aditum compararunt, honore, Summe Venerabilis Doctor, quem ego primus hoc nomine gratulabundus saluto. Utinam te, literis augmentum, ecclesiæ fulcrum, clero ornamentum, per longam annorum seriem solpitem et incolumem numen benignissimum præstet!

Jam vero, ut pro sapienti majorum more novi hujus honoris gravitas et officia per sensus animo admoveantur, ascendas, rogo, hoc superius suggestum, ad quod aditus jam tibi patet, quo doctorum insignia tecum communicentur.

Et primum quidem accipe codicem nostrum sacrum, quem tibi apertum porrigo, ut sit argumento, tibi, sacrarum literarum doctori, oracula divina pro modulo ingenii humani jam esse oportere patefacta.

Ne autem, immodica scientiæ nostræ opinione elati, in rebus divinis eas tantum veras judicemus, quarum causæ tenui nostro ac imbecillo ingenio comprobentur, eundem tibi librum jam clausum reddo, qui, quoniam τὰ βιβλία τῆς Θεῆς comprehendat, moneat te, veri nominis theologum etiam arcana divina, quorum rationes obtusam mentis nostræ aciem fugiant, certa fide amplexum, pio animo tenere.

Quod cum nemo facile a se possit impetrare, nisi jugo excusio opinionum commentatorumque, quæ vel nominum claritate, vel temporum novitate commendentur, sui juris factus fuerit homo, moderatæ hujus et constantis in sentiendo judicandoque libertatis, quæ theologum deceat, pileus, quo apud veteres soli liberi ornabantur, solum tibi esto.

Atque ut ob oculos veluti sistatur, veri theologi studia et conamina non in rebus hujus vitæ fluxis et caducis detineri, sed ultra temporis limites in stabilia et sempiterna ferri oportere, annulum tibi induo, qui, finis ut initii expers, idoneus visus est antiquis, quo de æternis moneremur.

Tandem benevoli in te animi non tantum mei, sed omnium, quotquot per orbem terrarum literis nostris boni student, signum habeto osculum, quod tibi fero, apostoli præceptum tibi etiam commendans: ἀληθεύειν ἐν ἀγάπῃ.

Faxit Deus ter Optimus Maximus, ut, quæ a nobis pro more majorum solenniter sunt peracta, in salutem rei tam sacræ quam publicæ, in commodum literarum, in gloriam hujus universitatis bene et feliciter vertant! Dixi.

III.

ORATIO,

DECANI FACULTATIS JURIDICÆ,

JOHANNIS FRIDERICI GUIL. SCHLEGEL,

REGI A CONSILIIS CONFERENTIARUM, JURIS UTRIVSQUE

DOCTORIS ET PROF. PUBL. ORD. ATQUE

ORDINIS DANEBROGICI EQUITIS.

*Rex Augustissime!**Principes Celsissimi!**Auditores omnium Ordinum optimi!*

Sacrorum instaurationem per Martinum Lutherum potissimum effectam non solum ob id ipsum, quod tot gentes ad verum Dei cultum fuerunt revocatæ et a iugo pontificio liberatæ, sed et propter fructus uberrimos, qui inde literis omnibusque disciplinis redundarunt, summum beneficium, quod genti humanæ tribuit Numen benignissimum, esse æstimandum, quis non gratus agnoscit? Cum qui inter Catholicorum lacris addictos ingenio et cultura excellunt, summa hæc divi Lutheri merita non solum de iis gentibus, quæ ad nova sacra transiere, sed de universo quoque orbe Christiano hodie, partium studio seposito, ultro profiteantur, nemo nostrum profecto erit adeo vecors, ut ea in dubium vocare atque cavillationibus infirmare audeat.

Intimum hoc veræ religionis cum omni humanitate bonisque artibus vinculum probe intellexit Rex piissimus Christianus 3ius, quippe qui eo ipso tempore, quo gentem Danorum evangelicam

doctrinam sua sponte amplectentem ad pristina sacra summa concordia abolenda perduxerat, hanc nostram Academiam a Rege quidem Christiano Imo fundatam, sed sub jugo pontificio langvescentem et pæne interituram, summo studio instauravit donisque munificentissimis ita instruxit, ut per tria prope sæcula ad hanc usque diem sine intermissione floreret; quæ immortalia beneficia grata mente reco-lentes Universitatis instauracionem una cum Sacrorum reformatione quotannis celebrare solemus et hoc seculari festo inprimis celebramus. Omnes quidem terræ, in quibus religio christiana a pristinis erroribus repurgata fuit, ejus vim ad literas humaniores senserunt, nulla tamen magis quam plagæ hæ boreales, cum clerus Romanus id maxime timuisse videatur, ne hominum septentrionalium ingenia excolerentur, ea scilicet ad ipsius jugum excutiendum esse promptiora prælagiens.

Quantumvis omnes disciplinæ ex Sacrorum emendatione summam utilitatem haulerunt, nulla tamen ampliorem quam juris disciplina. Non quidem ibo inficias, inter glosatores et commentatores juris civilis fuisse qui supra vulgus saperent; at quanta cum trepidatione hæc meliora proferebant, ne fulmine Vaticano perculsi poenas nimie audaciæ luerent! Ipsa Sacrorum emendatio mox ansam dedit, ut de ecclesiæ ad civitatem ratione sollicitè anquirent Juris consulti, ne religionis colore in posterum abuteretur clerus ad turbas civiles fovendas et vincula sanctissima inter principem et subditos relaxanda. At hic non substitit de jure philosophantium diligentia, sed et reliquas juris quæstiones ad intimos mentis humanæ recessus penetrando solvere conati sunt. Existimatisne, Auditores, Hugonis Grotii immortale opus de jure belli et pacis condi potuisse, ut minus felices Oldendorpii, Winkleri et Hemmingii nostri conatus, quos jam ipsa Lutheri ætas tulit, silentio præteream, nisi fracto jugo pontificio mens humana se liberius effundere coepisset? An Puffendorffii, an Thomassii, an Lockii aliorumque summorum virorum scripta prodiissent, quibus vestigia Grotii presse sequentes hanc juris universalis disciplinam augere firmioribusque fundamentis superstruere tentarunt? — Dein et ipsæ leges, quibus gentes utuntur, sub examen vocatæ earumque labes liberius expositæ, legumque lactores eo adducti, ut legibus sospitalem manum admoverent, quo æquitati naturali verisque populi commodis melius consentirent.

Nullibi vero citius purior religionis doctrina vim suam in leges juraque corrigenda exseruit quam in terris Daniæ Regis potestati subjectis, quod cum paternis summi moderatoris curis, tum optimis egregiorum virorum, quos Rex ad se vocaverat, consiliis Bugenhagenii nempe et Palladii quoad jura ecclesiastica iisque tum intime conjuncta, Johannis autem Frisii, regni eo tempore Cancellarii, quoad jura civilia potissimum tribuendum est. Prohibitiones nuptiarum ob cognationis et affinitatis vinculum a summo Pontifice supra modum auctæ intra arctiores

limites tum restrictæ, divortia ob causas graviores subsequentes æque ac præcedentes permilla, quo majoribus malis occurreretur, venia usuras ex mutuo sed intra certum modum sibi stipulandi concessa, ne usuraria pravitas, hæc civitatis postis, diutius grassaretur, tormenta per abusum in foris nostris recepta prorsus fere abolita, homicidia ex proposito commissa, quæ huc usque multa pecuniaria expiabantur, poena capitali vindicata, delicta graviora ex insigni morum pravitate profecta severiori poena afflicta, leviora contra, quæ clerus olim criminum instar puniebat, minima poena castigata, ut plura taceam, abunde testantur optimum principem intellexisse, quam necesse sit sacris instaurationis leges quoque corrigere et a sordibus cleri studio contractis repurgare.

Quæ cum ita sint, hujus festi solemnia, quæ hodie magno cum apparatu celebrantur, Jurisconsulto Danico non solum ut omnibus cujuslibet fortis et conditionis, quibus evangelii lux curæ cordique est, communia, sed et ut jurisprudentiæ, religionis ope maxime promotæ, propria peragenda sunt. Ordo itaque jurisconsultorum in consortium cum cæteris Universitatis Regiæ Havniensis Ordinibus venit, ut gratisimum animum pro tali tantoque beneficio a summo Numine accepto publice testetur piaque vota pro eo nobis in æternum incolumi servando suscipiat.

Cum vero mos a majoribus traditus jubeat tali festa occasione Doctores creari, hac vice, annuente Rege Clementissimo, summos Juris honores adipiscuntur Quatuorviri ingenio, doctrina, jurisque peritia eximii, postquam singuli, proximis qui hunc præceslere diebus, eruditam Commentationem inauguralem contra quemcunque adversarium mascule propugnarunt.

Ut hac creatione Augustissima Regis literarum amantissimi præsentia præ aliis solemnitate perfungar, ante omnia opus est, ut spondeatis, Viri illustrissimi, amplissimi et consultissimi! Vos justitiam semper pia mente culturos, legesque et jura in docendo, respondendo, jus dicendo atque causas perorando sancte servaturos. — Hac fide præstita gradum Doctoris Vobis impertiri licet. — Quod itaque felix, faustum, fortunatumque fiet, ego Jo. Fridericus Guilielmus Schlegel S. R. M. a Consiliis Conferentiarum, Professor juris in hac Universitate ordinarius, Facultatis Juridicæ Decanus, Eqves Ordinis Dannebrogici, ipse Doctor juris legitime promotus mei Ordinis nomine.

te Christianum Lenthe liberum Baronem de Adeler, Regis clavigerum,

te Casparum Fridericum Lasfen S. R. M. a Consiliis status summiqve tribunalis Assesorem,

te Janum Laurentium Andream Kolderup Rosenvinge, Juris Licentiatum, Adjunctum et Notarium Facultatis Juridicæ.

te denique Janum Kragh Høft de literis meritisimum,

Doctores juris utriusque creo creatosque renuncio atque proclamo, Vobisque omnia jura et immunitates Doctorum rite promotorum tribuo atque concedo.

Salvete plurimum Doctores consultissimi! quo nomine primus jam Vos compello! facti estote novo hoc honore, quem vestra Vobis merita pararunt, eoque per longam annorum seriem Vestro et jurisprudentiæ commodo perfruimini!

Ascendite quæso Doctores consultissimi! in cathedram hanc superiorem, quam posthæc jure vestro occupabitis, ut nova dignitate rite investiamini. Primum quidem *Codicem* hunc legum mox *apertum*, mox *clausum* Vobis porrigo, ut Vobis inculcem, jura sedulo evolvenda esse, at proprium simul judicium adhibendum, quo leges obscuras rite interpretari, casusque ancipites ex vera legislatoris mente dirimere valeatis. *Pileo* jam *doctorali* cum libertatis tum dignitatis insigni capita vestra exorno, ut omnes sciant, Vos non amplius ab auctoritate jurisconsultorum vel maxime celebrium pendere, sed ad disciplinam juris promovendam erroresque, si qui irreperint, profligandos Vos jamjam esse vocatos. — *Annulum* hunc pronubum digitis vestris impono, ut recordemini Vobis utpote justitiæ desponsatis pro ea defendenda vel summum discrimen Vobis esse ad eundem. — *Osculo* denique fraterno in consortium et societatem omnium juris Doctorum ubicunque terrarum degentium Vos recipio, ut jus acquiratis ab iis qui eadem sacra colunt auxilium postulandi ad quæstiones juris perplexas eo felicius solvendas, utque obstringamini ad amicam operam sodalibus vicissim præstandam, quo demum efficietur, ut inanes lites vitentur et jurisprudentiæ studium concordia jus docentium in dies magis magisque proferatur; eodem quoque amplexu Vestræ amicitiae firmæ et inconcussæ, quæ hucusque frui mihi contigit, me commendatum volo. Faxit Deus Optimus Maximus ut hæc Doctorum inauguratio Vobis, patriæ, literis, atque jurisprudentiæ quam maxime salutaris evadat! Dixi.

IV.

ORATIO METRICA

DECANI FACULTATIS MEDICAE,

FRIDERICI LUDOVICI BANG,

REGI A CONSILII STATUS,

MEDICINÆ DOCTORIS ET PROF. PUBL. ORD. ATQUE

ORDINIS DANEBROGICI EQUITIS.

*Auditores augustissime, celsissimi, excellentissimi,
summe venerabiles, consultissimi, experientis-
simi, doctissimi et quotquot adestis om-
nium ordinum!*

Verba dei superant, quæ cetera cuncta creavit,
Vera et sublimis fuit hæc idea Davidis;
Maximus is regum præbet quoque maxima signa,
Quantum facta dei novit, quanti æstimat illa,
Quod terra et coelum nobis mirabile monstrat,
Quæ supra splendent, quæ tellus continet infra,
Quæ deus effecit tam magnifica atque benigna,
Vidit rex oculo, cor sentiit, os cecinit sic:
Narrant coela dei, domini coelestis honorem,
Et firmamentum extensum, quæ fecerat ille,
Is numerat stellas ac omnes nomine signat.
Quot res sunt illæ, egisti quæ tu deus ipse,
Et sapienter eas novisti condere cunctas,

Illis, quæ tua sunt, impletur totaque terra.
 Vos domino cantu summas perfolvite grates,
 Obtegit is coelum densis quia nubibus atque
 Dat pluviam terræ; sic crescit gramen in illa,
 Omni dat pecori pastum, qui conveniens est,
 Corvorum natos clamantes nutrit et iste,
 Valles et dominus fontes effundere jusfit,
 Ut quodvis vivens hinc potum sumere possit,
 Et mare tam longum, tam latum atque profundum
 Piscibus innumeris magnis parvisque replevit
 Sicque penus cellas immensas fecit abyssum.
 Te deus attendunt oculis viventia cuncta,
 Et tempestivum cibum tu porrigis illis
 Exspargitque manus tua largiter ut saturentur,
 Ora deus cibo replet et dat gaudia cordi.
 Attamen his factis tam notis et celebratis
 Verba dei præfert animæ vitam quia præbent,
 Dixit: verba dei dederant solamina; si non,
 Valde miser fueram; quid quod mea vita periret.
 Fructus et illorum magnos, quos ceperat ipse,
 Laudat et exponit rex ille amplissime cantu,
 Qui numero est decimus nonus centesimus atque.
 Sed si verba dei per Mosen tradita quondam
 Majus habent pretium, quam cetera cuncta creata,
 Quo potius valeant ea completissima verba,
 Quæ deus in Christo, fuerat qui filius ejus,
 Ipse dedit nobis, felices ut fieremus.
 Lux est auroræ, sed sol splendet magis illa,
 Et præter lumen dat terræ fertilitatem;
 Lux Mosis prior est, sed Jesus sol fuit ipse;
 Hujus divini radii, divinaque verba
 In coelo claro splendebant tempore longo
 Seqve propagabant mundi ad cunctas regiones
 Ac animas hominum credentes perficiebant,
 Dum doctrina fuit modo simplex tradita Christi,
 Ac emissi ejus solum, quæ jusfit et egit,
 Narrabant populis jungentes nil peregrinum,
 Tunc purus fuerat fons, effluxus similisque,
 Tunc floruit pietas, virtus regnavit in orbe;
 Ast dormiverunt homines, advenit et hostis,
 Miscuit is tritico plantato semina prava,
 Surgebant iterum Pharisei, verba deique
 Tam lucri causa, quam laudes ut caperentur,
 Præceptis falsis conspurcabant nocuisque;
 Quidquod verba dei vetuerunt esse legenda.

Hinc declinavere fides, virtus pietasque,
 Hinc et lux Jesu vix splenduit amplius ulli.
 Rebus ad extremum ductis milit deus orbi
 Virum, qui valuit populorum abrumpere somnum;
 Lutherus sapiens, firmus patefecit abusus;
 Fecit et ut tollant illos multi populorum,
 Inter eos Dani; sunt jam tria secla relapsa
 Humano generi, sed maxime contulit illud,
 Quod liber sanctus clausus reddatur apertus,
 Ut quicumque volunt, ex hoc haurire valerent
 Ipsi quod censent propriæ servire salutem,
 Credere nec verum, quod liber non habet iste.
 Sed si verba dei superant, quæ cetera fecit,
 Quanta deo sit laus, iterum qui sic dedit illa.
 Hoc opus hoc die nos convenimus ut celebremus,
 Ut memores omnes simus tanti benefacti,
 Ut demus ac ipsis festiva hortamina nobis
 Hæc ad servandum, nec non usum faciendum
 Horum continuum, cum juncto cordis amore,
 Maxime verborum, quæ Jesus tradidit ipse.
 Dixit enim Jesus: si vos in me maneatis
 Et mea verba manent in vobis, tunc peteretis
 Omnia quæ vultis, contingent ac ea vobis.

Cum scientia salutaris corporis humani a tempore, quo scientia salutaris animæ laudato modo restituta est, notabile incrementum ceperit, probabile est illam huic pro parte non exigua profectus suos debere; medicorum igitur non modo cum ceteris, sed etiam nomine propriæ scientiæ officium est hodiernum festum magni habere, et facultate, quæ illi data est, illustrare solito modo viros de scientia medica insigniter meritos summis honoribus condecorando.

Ad hunc finem nominandus est Christianus Fridericus Schumacher, Profesor Chirurgiæ dignissimus, eqves ordinis Dannebrogici, quondam per sedecim annos primarius chirurgus nosocomii Fridericiani, membrum plurimum societatum scientiarum, tam apud nos, quam apud exteros, atque per multa scripta prælo impressa valde celebratus; quæ omnia merita effecerunt ut ordo medicorum hujus universitatis honoris causa gradum doctoris, venia ad eundem a clementissimo rege concessa, illi sine ulla obstrictione disertationem inauguralem conscribendi et publice defendendi obtulerit et jam conferat.

Te simul nomino experientissime Henrice Mathee Vilhelme Klingberg, Profesor anatomiæ in academia artium elegantiorum, chirurge legionis nauticæ, ut eos honores, quos tu jam diuturna, laudabili et felici, inter nos facta, praxi medica, et præsertim dis-

sertatione inaugurali erudita et strenue defensa promeruisti, nanciscaris.

Initium capiat hic sollemnis actus ab obstrictu juramentis non minus sancto ad munus, quod vobis jam defertur, partes gravissimas erga ægrotos, artis socios, regem et religionem exacte implendas.

Hoc pacto, et quod datis promissis firmiter insistatis, auspicio regis augustissimi FREDERICI SEXTI, annuente collegio, quod universitatem scholarum litteratas moderatur, nomine facultatis medicæ hauniensis, ego Fred. Lud. Bang, Profesor medicinæ, publicus ordinarius, te Christianum Fredericum Schumacher et te Henricum Mathiam Wilhelmum Klingberg

Doctores medicinæ creo, creatosque proclamo et renuntio.

Ascendite nunc in cathedram superiorem; excelsior hic locus vobis concessus indicat, vos ad summos, quos universitas in ordine nostro impertire potest honores, electos esse vobisque omnia hujus dignitatis jura, auctoritatem, fidem et facultatem publicam docendi, litterata opera censendi et novos doctores creandi conferri. Salvete domini doctores, quoniam nomine ego primus vos compello, et honoris doctoralis tesseras a me accipite. Primo vobis trado librum clausum, quo significatur vos doctrinæ et eruditionis apparatu abunde esse instructos, ut etiam sine librorum adminiculo omnibus medici officiis satisfacere valeatis; sed simul vobis trado librum apertum triplici scopo adhibendum, ut memoria capta jam doctrina servetur, ut aliorum experta et inventa nova addiscantur, et ut propriæ observationes litteris mandentur et usui futuro inservire possint.

Annulo aureo quoque vos adorno: hoc, qui olim erat signum et ornamentum equitum romanorum, Augustus imperator medicum suum Antonium Musam donabat et nobilitabat; idem nunc fit symbolum honorati quem meruistis et intravistis, ordinis.

Pileum dein doctoralem vobis admoveo: uti pileus impositus abiturum significat, ita hocce ritu declarare me oportet vos omnibus ad dignitatem doctoris obtinendam absolutis partibus ad abitum paratos esse atque maxime honorificam gratulationem ab universitate nostra meruisse.

Osculum demum fraternum nomine ordinis nostri vobis porri- go ad indicandum et publice declarandum æqualem inter nos dignitatem, consortium atque intimius amicitiae vinculum; me simul hoc amplexu vestro favori et amori commendatum volo.

Festiva hac occasione etiam facultati nostræ a clementissimo rege data est venia suam æstimationem exferendi erga Magnum Andream Thulstrup, Profesorem chirurgiæ et artis obstetriciæ in universitate Fredericiana, quæ Christianiæ existit, præfectum medico chirurgicum exercitus norvegici, sodalem societatis medicæ Holmiensis et membrum honorarium collegii regii sanitatis svecici, ita ut il-
lum

lum summis in medicina honoribus condecorare liceat. Hinc Magnum Andream Thulstrup doctorem medicinæ in universitate Havnienſi creo, proclamo et renuncio.

Denique te, Conradum Matthiam Lunding, qui pro licentia ſummis in medicina honores obtinendi diſſertationem egregiam conſcripſiſti et publice vindicaſti licentiatum medicinæ nomine ordinis mei pronuncio atque proclamo.

Oremus tandem ſubmiſſi cordeque toto,
 Ut deus omnipotens nobis ſervet ſua verba,
 Ut magis et magis hæc in terra notificentur,
 Talia præſertim, quæ Jeſus nomine patris
 Salvando mundo ſat ſufficientia dixit,
 Ut conatus ei ceperunt quos hodierni
 Hocce ſcopo poſint felicem attingere metam,
 Spiritus ut ſanctus doceat cunctos animetque,
 Servi et verborum corde, haud minus ore, laborent
 Uſus ut illorum fieret perfectior, atque
 Ut fauſtos facerent omnes reges populosque;
 Sic voveoque ſenex, ſic et publice ultima dixi.

V.

ORATIO,

QUA

SEX ARTIUM LIBERALIUM MAGISTROS

ET DOCTORES PHILOSOPHIAE CREABAT

M. BIRGERUS THORLACIUS

PROF. LINGV. LAT. ORD. EQUES ORD. DAN.

FACULTATIS PHILOSOPHICE DEGANUS.

*Rex Augustissime!**Principes Serenissimi!**Auditores Excellentissimi! Perillustres! Amplissimi!**Omniū Ordinū Optimī!*

Solenni hocce die, quo Martini Lutheri laudes per academias et scholas in omnibus ecclesiae evangelicae regionibus personant, nulla cogitatio videtur dignior, cui cordatus quisque immoretur, quam quae a prisco vate, sensu quidem aliquantum diverso, sed egregie sic exprimitur: *Nescia virtus Stare loco.* Constat illi sua veritas, sive ipsum reformatoris ingenium, sive emendationis sacrorum per eum susceptae effectum, sive literas denique humaniores et philosophicas, earumque cultum respicias.

Lutherum nuncupando, sanctarum virtutum, quæ in uno hoc pectore junctæ morabantur, imago cuiusvis ultro obversabitur. Dubitabis, eumne hominem magis, an civem, doctorem popularem magis, an eruditum, admirere. Sed mentem ingentia complexam cum pectore amabili, temperantiam cum constantia, generositatem cum modestia, pietatem cum humanitate in paucis adeo amica societate conspirasse, quisque fatebitur. Inconculsa illa fortitudo, cui nihil conscientia recti potius est, quæ ab omni libidine aliena, nec trahitur illecebris, nec minis terretur, quæ objectis sibi impedimentis adeo non frangitur, ut novas inde vires sumat, et in spem prosperi successus erigatur; talis certe fortitudo non nisi in magnos et ad magna natos viros cadit. Verum ut ista moliminum magnitudo, ista constantia, ista fortitudo felicem nancisceretur eventum, faciebat nobilis nifus, maximis quibusque ingeniis inditus, nunquam in factis acquiescens, sed semper ad perfectiora tendens; et generosa illa animi irrequies, nil censens actum, ubi quid agendum superlit: uno verbo: *stare loco nescia virtus.*

Operis per Lutherum *effecti* indolem considerando idem animadvertes. Restituebatur humanitas in sua jura, multis retro seculis oblitterata. Stabilium est illud fidei evangelicæ fundamentum: rationem humanam nil obtrudi sibi passuram, sed inquirendo unice, præeunte revelatione, verum sperare. Sic abjecto cæcitatibus vinculo, excusso jugo, quod ingenia huc usque prægravabat, novos impetus cepit mens mortalium. Nulla erat cognitionis pars, nulla disciplina, quin, factâ libertatis copia, sese extollere, finesque suos extendere coeperit. Nullum erat a religione adeo remotum doctrinæ genus, quin splendoris aliquid aut ornamenti ex hac omnia scrutandi novitate lucraretur. Uti elasteris tanto major vis est, quo magis ille antea fuerit represus, sic sacrorum instauratio, præcedentium tenebrarum densitate velut accensa, subitum omni scientiæ dedit impulsus, qui cunctas sensim disciplinas complexus, eas ad tantum nostro ævo fastigium adduxit, ut suam nascendi tenuitatem vix agnoscere possint. Sicut in torrente, quo longius a fonte recesserit, eo majores tumidioresque surgunt fluctus, dum perpetuo unda supervenit undæ; ita humana scientia post unum reformationis ictum, continuis crevit auctibus, ipsa sic experta: quod *nesciat virtus stare loco.*

Id animis vestris infixum habetote, Viri Doctissimi, quibus summi in philosophia honores jam jam conferentur. Contemplamini *artium*, quas vestras fecistis, *naturam*; et videbitis, hic, si usquam, verum esse effatum, quod mentibus vestris admoveo.

De sensuum honestate, de probitate atque pietate, ad Vos conversus, nihil dico; nam ipsi egregie nostis, sine virtute nullum esse scientiæ pretium; sed iidem quoque scitis, illud compositum jus fasque animi, sanctos illos mentis recessus, qui recta studia in-

signiunt, non nisi ingenii, ad se attenti, et progredi semper allaborantis, fructum esse.

Verum in literis, humanioribus ac philosophicis, quibus vos, Viri præstantissimi, operam vestram imprimis addixistis, observate, quomodo *virtus stare loco nesciat*. Quemadmodum in magnete vis tanto magis accrescit, quo majus sensim pondus ei subjicitur, sic qui rerum causas indagare, qui veri et pulchri rationes cognoscere, atque ad usum convertere velit, necessitatem sentiet scientiam suam perpetuo augendi. Quivis ejusmodi auctus ingenium aptius reddet ad novum aliud et rursus aliud cognitionis incrementum; uti contra quævis in progrediendo inertia regresum necessario adducet.

At enimvero in pectoribus scientiarum igne bene calefactis haud timendum, ne sibi desint vel frigide subsistant. Philosophia, uti religio, pede terram tangit, sed vertice sidera. Utraque arcum velut format coelestem, coloribus multo, quam qui in iride cernuntur, vividioribus. Scalam format, quæ sedem superiorum terræ udæ jungit, sed quæ talis est, ut, qui per eam ascendere tentaverit, quovis gradu magis idoneum se sentiat ad auram coelestem spirandam; et quo altius enixus fuerit, eo magis animadvertat, in scalæ apice superiores esse genios, qui probe nitenti operam præsent auxiliatricem. Demtâ imagine, sentietis, ornatisimi Candidati, quod in artibus liberalibus et Philosophia *perpetuus progressus* non solum in vera solidaque cognitione, sed etiam in ejus ad animum pectusque fructu, sanctum sit officium, quod vobis res ipsa injungat.

Id si penitus persuasum, quod non dubito, Vobis habetis, procedite ut ad honores vobiscum communicandos aditum Vobis parentis. Vos publice interrogo, num promittere velitis, Vos verum rectumque semper scrutaturos, et fide sectaturos, atque in his studiis usque progressuros. - - - - -

Hæc cum promiseritis, nil impedit, quo minus summos in Philosophia Honores Vobis impertiam.

Quod itaque felix, faustum fortunatumque esse jubeat Deus et huic Universitati et omni rei literariæ,

Ego *Birgerus Thorlacius*, in Academia Regia Havniensi legitime promotus et Theologiæ et Philosophiæ Doctor, Professor Lingvæ Latinæ Ordinarius, atque Ordinis Danebrogici Eques Auratus, Facultatis Philosophicæ hoc anno Decanus,

Te *Andream Faaborg Mülertz*, Candidatum Philosophiæ atque scholæ Cathedralis Othinienfis Adjunctum;

Te *Hallgrimum Johannæum Scheving*, Candidatum Philologiæ, et Scholæ Besfestadenfis in Islandia Adjunctum, cui post conscriptam, Censuribus probatam, atque editam doctam disquisitionem, publicæ disputationis veniam propter loci longinquitatem fecit Regis Augustissimi clementia;

Te *Henricum Nicolai Clausen*, Theologiæ Candidatam;

Te *Nicolaum Faber*, Theologiæ Candidatum;

Te *Guilielmum Christophorum Zeise*, Candidatum Pharmaciæ et Philosophiæ;

Te *Johannem Ludovicum Heiberg*, Candidatum Philosophiæ;

Vos omnes Artium Liberalium Magistros et Doctores Philosophiæ solenniter creo, legitimeque creatos publico, proclamo, atque renuntio. Maacte estote honorifico isto titulo, quo Ego primus Vos compello! et in cathedram hanc superiorem adscendite, honoris vestri symbola rite accepturi!

Primum quidem librum Vobis trado *apertum*, Aristotelis volumen. Hunc magnum Philosophiæ Coryphæum, aliosque, si qui sunt, ei in philosophando pares, volvite, legite, in succum atque sanguinem convertite; bene memores, recte meditando, meditataque recte disponendo, demum fieri posse, ut contemplationes et subacto judicio pensitentur, et ad evertum, quem sibi propositum habere debeant, scopum, verum nempe ingenii cultum et perfectionem, referantur.

Trado item Vobis librum *clausum*. Nimirum tantum scimus, quantum memoria tenemus. Facite, ut non solum quæcunque legeritis et commentati ipsi fueritis, in promptu habeatis, sed etiam cogitetis, verum philosophum sic legere, ut ex solis libris non sapiat, sed omnia alia simul adhibeat, que meditatio et experientia suppeditat, sapiendi præsidia.

Pileum dein Vobis impono, priscum libertatis symbolum. Instauratis per Lutherum sacris id inter alia debetur: quod et libere cogitare, et, quæ quis cogitaverit, libere proferre licet. Utimini prudenter hac fidei Evangelicæ prærogativa; sed libertas ne in licentiam degeneret, solerter providete.

Annulum digitis vestris infero. Est ille æternitatis symbolum. Æternitatem quippe philosophi contemplationes et molimina spectant. Est quoque connubii index, quod cum sapientia initis. Hanc fovete, hanc amate, hanc in deliciis semper habetote.

Amplexum denique et *osculum* accipite! Pignus ista sunt fraternitatis, qua omnes ubique Philosophiæ cultores se mutuo prosequi debent. Quantumvis diversæ sint ad verum viæ, ipsum tamen non nisi unum est. Id qui sincere sectatur, bonorum omnium studia, sed præcipue Sopheiæ alumnorum tenerrimam benevolentiam meretur.

Atque hæc quidem ita transacta funto in Dei laudem, in patriæ atque Universitatis nostræ commodum et honorem! Superfunt jam vota solennia, ad quæ publice nuncupanda invito Virum Summe Venerabilem *Janum Michaelem Hertz*, cui Summi in Theologia Honores nuper fuère impertiti.

D i x i.

VI.

PERORATIO,

QUA

OMNIUM ACADEMICIS HONORIBUS

ORNATORUM NOMINE

GRATIAS AGEBAT

JANUS MICHAEL HERTZ,

DOCTOR THEOLOGICÆ.

Tuæ Majestati, Rex Augustissime!

Vobis, Moderatores, Rector atque Professores, humillimas et debitas horum insignium virorum meoque nomine grates relaturus, quamquam consideratione gravius tangerer, cuiam libentius immorarer, quam isti non novo quidem, sed arctiori pietatis atque officii vinculo, quo Regi, patriæ, literis earumque cultoribus hodie nos obstringimur? Quod quidem si, honore nupero satiati, festique pompa inebriati, hodie tacere possemus; haud lætissimas sane studii atque sedulitatis in posterum spes excitaremus: si autem novum putaremus hoc ipsum vinculum; a vero tantum aberraremus, ut dubitari jure posset, quamquam nos via ad hocce adscendissemus honores, non Regi, non patriæ, non literis sanctissimo jam dudum obstricti vinculo.

Ipsos vos, rei literariæ patres et honoratissimi veterani, ipsos vos, quotquot adestis, strenui literarum cultores, adpellare liceat.

Illane vis, quæ in vestris præcordiis viget, quamque divinam potius quam humanam nominandam esse putamus, cum, divinitus certe suborta atque nutrita, ad divina et optima quævis humana studia atque aula excitet, ducat, rapiat, — illane, inquam, vis studiis vestris præclarisque factis præcesit? an studiorum et factorum senioris quandoque præmi pedisequa tantum exstitit? — Nonne ingenio cuique, jam puero, insita est illa in parentes, in natale solum, in Regem, in optimos quosque cives pietas? Quot et quanta gignuntur in ingenio juvenili animo præclara consilia, quam fausta, limpida, justa atque æqua cuncta sint olim successura, quando adoleverit ille, et rebus faciundis regundisve fuerit admissus? Hisce plerumque somniis — novimus enim omnes, et meminimus etiam — indulget impubis ætas; vanis quidem, minime vero abjiciendis vel spernendis. His enim consiliis, piis hisce desideriis jam in juvene melior hominum natura de sanctissimo illo vinculo, quo mortalium omnes mentes animosque conjunxit numen benignissimum, testatur; his, tanquam certissima atque præfaga voce, viros olim frugalissimos ominatur; ita ut illi vix unquam inter meritos ævi sui homines adnumerari viro contingat, qui juvenis nunquam de vero, de jure, de felicitate, sua olim ope humano generi vel civibus saltem restituenda, somniaverit.

Adolescit interea juvenis iste, et ad res ipsas agendas propiusque contemplandas admittitur. Stupet multitudinem et diversitatem; expavescit laborum, nugarum, insidiarum, malorum atque difficultatum turbam. Videt tot tantisque bonis indigere, tot tantisque malis vexari civitatem humanam, ut, qui omnibus simul procurandis incassum fundere labores nolit, certam sibi statamque viam, qua pro suis se viribus plurimum civitati profuturum speret, eligere cogatur. Hocce vero facto delectu, num ruptum ideo vel laxatum sanctum illud vinculum habendum est? Immo firmiter, arctiusque contractum! Jam enim ingenuus quisque, artis suæ certique muneris officiis intra justos sedulitatis suæ limites cohibitus, ad scopum, quem sibi constituit, eo alacriori tendit studio. Non aliorum ideo studia, non reliquas artes spernit vel nihili pendit; his contra ingenue delectatur, ad has, quantum potest, adspirat. Ad sua vero munera atque eas, quibus secundari atque perfici illa possunt, artes præcipuo trahitur et officio et amore. Sive igitur, spe mentis humanæ gravissima oblectatus, fratres ad hanc excitare constituerit, eorum animos, divina religionis institutione instructos et formatos, ad saluberrima post cineres fata fraterna ducere manu; sive juribus legibusque civilibus, quibus nititur salus publica, invigilare; sive morborum cruciatu afflictis profunda solerti que arte succurrere; sive illis se dederit artibus et scientiis, quæ hominum vitam, mores, mentes tam variis modis instruunt, delectant, ornant, expoliunt atque perficiunt: in hisce quibuscunque omnibus versatus, patriam semper,

per, Regem, cives, literas respicit; et Regi cordate obtemperasse, patriæ civibusque profuisse, in literis profecisse, gratis simam semper habebit mercedem atque laborum dulce lenimen.

Atque tales quidem nosmet ipsos hodie sistere liceat! Tibi, Augustissime Rex, Vobis, literarum cujusque generis cordati cultores, Vobis, cives dilectissimi, Tibi, quæ omnes omnium caritates complecteris, patria, non novo quidem, immo quocumque nomine antiquissimo vinculo obstrictos. Vestri jam a teneris inde annis sumus; vestri ad cineres usque erimus. Non enim novo, sed arctiori; non novo, sed solenniori, sanctiori, svaviori ab hocce die tenemur officio; quippe quorum qualiacumque studia egregie remuneravistis, et latiora majoraque nobis jura concessistis.

Quoniam autem, teste Tullio, is, qui vere adpellari potest honos, non invitamentum ad tempus, sed perpetuæ virtutis est præmium; studiis ideo laboribusque gnaviter inhærendum, et in artibus ulterius indies progrediendum nobis esse putamus; ut et novis ipsi augeamur notitiis, et novi atque majores Regi, patriæ, literis civibusque redeant inde lætissimi fructus.

Cujus sanctissimæ quidem obligationis si quis unquam nostrum immemor futurus sit; non sacræ istæ columnæ, non reverenda hæcce gravissimorum virorum civiumque dilectissimorum corona, non ipsa Tua, Clementissime Rex, augustissima facies majori illum pudore confundet, non clariori, non graviori voce ad meliora reclamabit, quam solennis hicce, si quis unquam, religioni, literis, patriæ generique humano dies, qui, ut nobis hodie testatur, ita, quotannis rediturus, omnibus testabitur cordatioribus, quantum malorum leverint doctorum perjuria, segnities, veri socordia literarumque despectus. Contra vero faustissimis idem hicce dies omnibus eriget atque invitabit, quoscumque invenerit veri atque scientiarum strenuos cultores; quorum quippe studiis sinceroque labore, summo annuente numine, firmabuntur regna, fortunabuntur cives totumque nostrum genus benignissimo Patris nostri coelestis consilio maturascet.

Tuis, pater coelestis, tuis maturari consiliis, ad faustissimum illum, quem nobis singulis et toti nostro generi benigne constituisti, scopum propius indies fesiinare, nec illo attingendo indignos olim censeris, id ut nobis concedas, enixe rogamus; id ut nobis contingat, assidue allaboraturos sanctissimis nos votis solenni hocce die in sacra tua hacce æde obstringimus. Piis tu votis laboribusque faveas et adspires! Langventibus animum, fatigatis robur adde! — Patriam dilectissimam nostram incolumem beatamque serves; utque illi et civibus et literis bene sit, serves plurimisque cumules beneficiis! Parentes illos dilectissimos patriæ, Regem nostrum clementissimum, Fridericum Sextum, cum Regina nostra augustissima, Maria Sophia Friderica, augustissimaque prole, principibus regiis, Carolina

atqve Wilhelmina Maria. Regium illum principem celsissimum, Christianum Fridericum, unacum filio Friderico Carolo Christiano, fratreque, principe celsissimo, Friderico Ferdinando, paternæ tuæ tutelæ atqve benevolentia commendamus. Nullis non ornes bonis regias principes totamqve generosissimam domum! — Ingenuos semper idoneosqve consiliarios atqve ministros excites optimo Regi, qvi verum justumqve et ipsi videant, et probis moribus studiisque patrocinentur; illisque concedas, ut fidæ sedulitatis optimos recuperent fructus. — Rei patriæ militari, terrestri atqve navali, rebusqve civilibus vires firmitatemqve serves, et ad supremæ tuæ sapientia modulum augeas! — Rem deniqve ecclesiasticam et literariam, saluberrimum, si quis, pietatis, eruditionis atqve sublimioris itaqve humanæ felicitatis fontem, enixis tibi precibus commendamus. Harum moderatores, harum doctores sapientia atqve amoris studia tibi semper sacratos serves! Auditores et alumni, qvovd verum bonumqve est, mente pia ament, avida sectentur, alacri exerceant; ut priori, qva nos dignatus sit, luce indies gens nostra augeatur, læta indies atqve digna fruatur! — Dixi.



SANGDIGT

VED HÖITIDELIGHEDEN

PAA UNIVERSITETET I KIÖBENHAVN,

I ANLEDNING

AF

REFORMATIONSFESTEN

1817.

ORDENE

AF FREDERICH HÖEGH-GULDBERG,

PROFESSOR, RIDDER AF DANNEBROGEN;

MUSIKEN

AF KAMMERMUSICUS KUHLAU.

Tier, Engle! Stille, Torden!
Stjerners Jubel fjerne sig!
Lad et samlet Chor fra Jorden,
Stövets Fader, tækkes Dig!
Du, som har paa Jorderige
plantet Freds og Friheds Træ!
lad vor glade Tak Dig sige:
at, ved Frihed lykkelige,
kun før Dig vi böie Knæ!

Vil' I den fulde Södme smage,
som Træet i dets Frugter har,
med agtsomt Öie seer tilbage
paa Giftens Bær, det fordum baer!
Da var ei Fryd i Vaarens Komme,
da löd paa Höstens Dag ei Sang.
Seer hen, at Sorgens Stund er omme!
men mindes, at den slog engang!

Med Dödens Draaber paa sin forte Krone,
der ryftedes af Mörkheds Aand,
ham, Suk og Taarer ei forfone;
end taalt af Herrens Haand;
end ikke ramt af Vredens Flamme;
ufögt af Livet, öde om sin Rod,
hiin Trældoms kjæmpestærke Stamme
alt i hengrædte Secler stod.

Gud er Fromheds Styrke;
aldrig Himlen sveg.
Over Trældoms Mörke
Friheds Dugning steg.
See, saa mildnes al Möie!
hör! saa toner det ned:
"Æren Gud i det Höie!
men paa Jorden Fred!"

Guds Mand, hiin *Luther*, traad i Herrens Kraft
 til Træet hen og podede dets Stamme.
 Den golde Green han ofrer Flamme
 og i hvert frugtbart Skud forædler Saft.
 Der lyfer atter Vaar. De Poder trives;
 og Blad, og Blomster bryde frem;
 med Frugter nu selv mindste Green oplives.
 Lykfalig, Hvo som plukker dem!

Lykfalig Han være,
 ja! signe Gud Ham,
 hvem Frihed er Ære
 og Trældommen Skam!
 De Baand, ham omslynge
 for Pligt og for Ret,
 nei! aldrig de tyngte.
 Naar Aaget ham gavner,
 han Frihed ei savner,
 men Byrden er let.

FOR DEN THEOLOGISKE PROMOTION.

Hil Dig, hvis Kald det blev, at frede
 i Herrens Viingård Livfens Træ!
 Blid Dine Brødre did Du lede
 og lære dem at føge Læ!
 Den Bange glemme der sin Vaande!
 Den Syge drage Sundheds Aande!
 Den Trætte reise sjunkne Knæ!

FOR DEN JURIDISKE PROMOTION.

Gak Du, som Ran og Rov skal vriste
 af Voldets Haand, gak Træet nær!
 Ei skal da Guld Din Vægtskaal friste,
 ei Rædfel slöve da Dit Sværd.
 Hil Dig, naar, styrket i dets Skygge,
 Du gaaer, for Land med Lov at bygge!
 Dit Liv har Fred, Din Död har Værd.

FOR DEN MEDICINSKE PROMOTION.

Du, som ved blegnet Brøders Leie
 beaander Livets sidste Gnift!

skal Mod ei fvigte Dine Veie,
 fög Hvilen under Træet hist!
 Hvert Blad, Du om Din Isse fletter,
 Dig fikkert Dagens Hede letter;
 hver Frugt, Du plukker, lædsker vift.

FOR DEN PHILOSOPHISKE PROMOTION.

Og Du, der Tankens Svælg bestiger,
 at föge Sandheds skjulte Guld!
 med Skatte Verden Du beriger,
 om aarle Du var Træet huld.
 Dets dybe Tale til Dig lyde:
 at kun den Frugt er værd at bryde,
 som er af Saft og Kjerne fuld!

Föl Din Afmagt, svage Stöv!
 Du forgaaer; men Herren er den Samme!
 Föl: at Gud kun værner Træets Stamme,
 at kun han fornyer det med Löv!

Priser den Eviges Domme,
 I, som paa Jorden boe!
 Vaar og Vinter lad komme,
 grønnes dog Træet i Ro!
 Stige, naar Livet er endt i Möie,
 Slægter bag Grav i Glemfel ned,
 aldrig det lukkes, den Eviges Öie!
 "Æren Gud i det Höie!
 End paa Jorden Fred!"

SYLLABUS.

	PAG.
I. P rolufio invitatoria, verbis Alcaicis, auctore B. Thorlacio, Prof. Eloqu. Lat.	1-8.
II. Vitæ Doctorum :	
A. Theologorum, IV honoris caufa, I Ordinarii.	9-13.
B. Jurisconfultorum.	13-23.
C. Medicorum, II honoris caufa, I Ordinarii; I Licentiati.	23-34.
D. Philofophorum.	34-44.
III. Orationes.	
A. Oratio Univerfitatis nomine habita a Theologorum primo, h. a. Rectore Magnifico Cl. Fr. Horneman.	47-54.
B. Decanorum, honores academicos impertientium.	
a) Decani Fac. Theol. P. K. Meyer.	55-58.
b) — Fac. Jurid. J. F. G. Schlegel.	59-62.
c) — Fac. Med. F. L. Bang.	63-67.
d) — Fac. Philof. B. Thorlacii.	68-72.
C. Peroratio, qua Academicis honoribus ornatorum nomine gratias age- bat, foennia fimul vota pronuncians, J. M. Hertz. Dr. Theol.	73-76.
IV. Cantate af Prof. Ridder F. H. Guldberg, med Mufik af Capelmuficus Kuhlau	77-80.

CORRIGENDA:

Pag. 50.	Lin. 8.	leg. continuo
- -	- 29.	- aperuerunt
- 51.	penult.	- <i>altos</i>
- 52.	Lin. 2.	- aegre
- -	- 17.	- edenda